SYMBOLAE PHYSICAE

SEU

ICONES ET DESCRIPTIONES

MAMMALIUM

QUAE EX ITINERE

PER

AFRICAM BOREALEM ET ASIAM OCCIDENTALEM

FRIDERICI GUILELMI HEMPRICH

ET

CHRISTIANI GODOFREDI EHRENBERG

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORUM

STUDIO

NOVAE AUT ILLUSTRATAE REDIERUNT.

PERCENSUIT

ET

REGIS IUSSU ET IMPENSIS

EDIDIT

Dr. *C. G. Ehrenberg.*

v.1
pt.2

DECAS SECUNDA.

BEROLINI EX OFFICINA ACADEMICA.

VENDITUR A MITTLERO.

MDCCCXXX.

f QL
46
E33
v. 1
pt. 2
RB
SI

fQL
46
E37
1825
Zool. 1
Mamm
pt. 2
C. 1
SCNHRB

SMITHSONIAN
LIBRARY

SIMIA, CYNOCEPHALUS, *Hamādryas* H. et E.

EX ARABIA MERIDIONALI ET EX HABESSINIA.

Habessinis *Hobē* ሆባይ: aliis *Kombay* vocari audivimus. Salt nomina Tigrense *Hevve* et Amharicum *Gingero* notavit (*Jandjero* ዠንጅሮ:). Mutata horum nominum significatione, Ludolf olim habessinica nomina Tigrense *Halestejo* ሐለስተዮ: aut *Alestejo* ኣለስተዮ: et Amharicum *Tota* ጦጣ: maiori habessinicae Simiae dari retulit, illa vero minori. Arabiae incolis et Aegyptiis vocari *Robah* ربح experti sumus.

Synonyma praecipua sunt:

THOTH et OCH Aegyptiorum antiquissimorum, divino cultu celebria (1).

ΚΥΝΟΚΕΦΑΛΟΣ Horapollinis, Graecorum et Romanorum.

ΣΦΙΓΞ Agatharchidis, Philostorgii, Graecorum et Romanorum.

SIMIA *Hamadryas* et *Cynocephalus* Linné.

SIMIA *aegyptiaca* Hasselquist MDCCLI.

SIMIA *Robah* Forskål MDCCLX.

PAPIO *Cynocephalus* et *Hamadryas* Geoffroy *Annales du Museum* MDCCCXII.

CYNOCEPHALUS *Hamadryas* G. Cuvier MDCCCXVII. Mas solus.

TARTARIN et BABOUIN F. Cuvier et Geoffroy *Mammifères* MDCCCXIX.

CYNOCEPHALUS *Hamadryas* et *Babouin* Desmarest *Mammalogie* MDCCCXX.

CYNOCEPHALUS *Hamadryas* et *antiquorum* Schinz *Thierreich von Cuvier* MDCCCXII.

SIMIA *Sphinx* nubica Calliaud *Voyage à Meroë* MDCCCXXII.

CYNOCEPHALUS *antiquorum*, *Hamadryas* et *Wagleri* Agassis Isis MDCCCXXVIII.

SIMIA *Hamadryas* quam CYNOCEPHALUM et *Sphingem* plerique veteres Graeci et Romani appellarunt in humanae gentis antiqua historia ad maximam celebritatem evecta est tantamque in totas lateque expansas gentes vim obtinuit, ut non solum antiquiores divino eum venerarentur

---

(1) *a.* Synonyma diiudicata chronologice ita congessi:

THOTH et OCH (cum articulo: *Pooch*) Aegyptiorum antiquissimorum.

KOPH קוֹף plur. KOPHIM קוֹפִים Salomonis et Hebraeorum.

ΚΥΝΟΚΕΦΑΛΟΣ Herodoti, Plutarchi, Horapollinis omniumque scriptorum graecorum, qui de aegyptiaco, arabico aut aethiopico Cynocephalo, nec de indico, retulerunt.

ΚΗΠΟΣ Strabonis XVII. p. 812, Babyloniis sacer, nec aliorum Graecorum, nec *Cepus* Romanorum, qui *Pyrrhonotus* est.

CYNOCEPHALUS Plinii et Romanorum omnium, qui aegyptiacum, arabicum aut aethiopicum Cynocephalum notaverunt.

CERCOPITHECUS Iuvenalis V. 15. Aegyptiis sacer.

cultu, sed ut hodieque eiusdem terrae gentes, post oblitteratam dudum illam religiosam veneratione, proprii corporis cultu eius formam imitentur. Berberorum enim, Gallarum, Bischeiriorum Schakiorum aliarumque illis vicinarum gentium capillos hodieque ad *Sphingis* seu *Hamadryadis*

Feminae solius synonyma antiqua sunt:

ΣΦΙΓΞ Agatharchidis et Philostorgii et reliquorum Graecorum, qui non de allegorica aliqua forma scripserunt, nec Indiam, sed Aethiopiam patriam asserunt.

Sphinx Plinii aliorumque Romanorum, qui Aethiopiae aut Aegypto indigenam eam censuerunt.

Catulorum synonyma antiqua sunt:

ΛΥΓΞ et ΣΦΙΓΓΙΑ Tabulae musaicae Praenestinae?

Lynx Plinii VIII. c. 21 (30)?

Synonyma recentiora sunt:

1) Maris solius adulti:

Le Tartarin Belon *Oiseaux* p. 101. mdli. Icon originaria prima testibus Pennant et G. Cuvier quam non vidi. In editione anni mdlv non exstat.

Simia supra aures comata Prosper Alpinus Hist. Aeg. nat. mdlxxx cum icone veneta originaria altera, rudi, maris parum comosi.

Simia Cynocephalus *Tartarin* s. *Tartaret* Gallorum Gesner Hist. Quadr. mdciii cum icone Bezae originaria tertia, Parisiorum Lutetiae facta, bona. In editione operis prima non exstat.

Cercopithecus *Cynocephalus* Clusius Exot. mdcv cum icone Iacobi Plateau, archetypo quarto mediocri.

Simia *Cynocephalus* Ionston Quadrup. mdcclv cum icone originaria? quinta rudi.

Simia *Hamadryas* Linné Systema nat. mdcclvi.

Cercopithecus *Cynocephalus* III. Brisson *Règn. anim.* mdcclvi.

Monkey from Moco *in the Persian Gulph* (Moccha Arabiae) Edwards fig. ined. teste Pennanto.

Dog faced Monkey Pennant *Synops. of Quadr.* mdcclxxi cum icone originaria sexta Edwardsii.

Simia *Hamadryas* Schreber *Säugth.* mdcclxxv cum icone altera Edwardsii immutata, originaria septima.

Cercopithecus *Hamadryas* Erxleben Systema anim. mdcclxxvii.

Lowando (*Singe de Moco*) Buffon Suppl. VII. mdcclxxxix cum icone Edwardsii altera, originaria septima.

Gray Baboon
Dog faced Baboon } Shaw Speculum Linnéanum mdccxc et *Generally Zoology* mdccc. Icon originaria octava.

Persian Savage
Dog faced Baboon } Bewick Zool. mdccxci cum icone originaria nona.

Papio *Hamadryas* Geoffroy *Annales du Mus.* XIX. mdcccxii.

Cynocephalus *Hamadryas* G. Cuvier *Règne animal* mdcccxvii.

Le Tartarin Frid. Cuvier et Geoffroy *Histoire naturelle des Mammif.* mdcccxix cum icone originaria optima decima.

Cynocephalus *Hamadryas* Desmarest *Mammalogie* mdcccxx. Kuhl mdcccxx. Desmoulins *Dict. classique d'hist. naturelle* mdcccxxiv. G. Cuvier *Règne animal,* Edit. II. mdcccxxx.

Hi omnes auctores de mare solo egerunt, antiquiores interdum feminae synonyma casu addiderunt, iure factum nunquam probarunt.

---

2) Feminae adultae solius:

Simia *aegyptiaca* Hasselquist *Reise nach Palaestina* mdccl.

Simia *Lynx* Abbas Lichtenstein de Simiis veterum mdccxci?

Cynocephalus *Chacma* aethiopicus Desmoulins *Dict. class. d'hist. nat. Cynoc.* p. 258. mdcccxxiv.

Simia *Sphinx* nubica Calliaud *Voyage à Meroë* mdcccxxvii.

Nonnulli horum auctorum forsan ad sequentem ordinem pertinent.

---

3) Status iuvenilis et adolescentis utriusque sexus et Feminae adultae, excluso Mare adulto:

Cercopithecus *Cynocephalus* I. Brisson *Règne anim.* mdcclvi.

Simia *Cynocephalus* Linné Systema Nat. mdcclviii.

Papio *Cynocephalus* Geoffroy *Annales du Mus.* XIX. mdcccxii.

Cercopithecus *Cynocephalus* Briss. Fr. Cuvier *Mémoires du Mus. d'hist. nat.* T. IV. 419. mdcccxviii. Iuvenis icon ob manus omnino concolores ad *Sphingem* capensem iuvenilem accedit. Descriptio desideratur.

Babouin Frid. Cuvier et Geoffroy *Hist. nat. des Mammifères* mdcccxix cum icone maris adolescentis captivi?

Cynocephalus *Babouin* Desmarest *Mammalogie* mdcccxx. Desmoulins *Dict. class.* mdcccxxiv. G. Cuvier *Règne animal* II. Edit. mdcccxxx?

Cynocephalus *antiquorum* Schinz mdcccxxi.

Cynocephalus *Wagleri* Agassis Isis mdcccxxviii cum icone speciminis iuvenilis.

DSI

formam studiose comtos vidimus, ut hunc humani corporis cultum ex sacrae olim Simiae imitatione originem duxisse pro verisimillimo habuerimus.

De Simiarum divino cultu praeter Aegyptum in India vestigia inveniuntur, neque in hac ipsa re aliquis inter utrasque gentes nexus negari potest. Balbi cum aliis (1) in Peguano regno Simiarum venerationem expertus est et nuperrime Elwoodia, Angli Centurionis uxor, itineris descriptione MDCCCXXVIII edita celebris, in epistola 57ma refert: „Principes urbis Purbunder e gente Dschaitwarensi a Simia *Hanuman* vocata, originem proprium derivare, eosque se *Ranatum caudatorum* nomine distinguere." Praeterea sanscritica, quae vulgo vocatur, Indorum lingua Simiam voce *Kapi* कपि appellat, ut Shakespear in Lexico indico tradit. Idem vero nomen mirum in modum ex africanis et arabicis Simiarum nominibus resonat. Habessinorum vox *Hobē* inter haec facile antiquissimum fuit, cum ex ipsa Habessinia Simias in alias terras delatas esse historia tradat easque indigenarum nomine vocatas esse probabile sit. Sic Salomonis naves (Paralipom. II. 9. 21.) cum auro et aliis mercibus *Kophim* per Mare rubrum in Indaeam attulisse scriptum est, Simias vero illo tempore inter merces fuisse ex eo constat, quod Septuaginta interpretes graeci antiquissimi Alexandrini vocem *Kophim* πιθήκους reddiderunt et quod Agatharchides et Plinius inter merces ex Aduliti emporio troglodytico cum ebore advectas *Sphingas* CYNOCEPHALOS et *Cepos* nominant. Ex hebraica voce *Koph* Graecorum Κῆπος et Romanorum *Cepus* ac *Cephus* aequali verisimilitudine derivantur. Bochart etiam et Rosenmüller *Cepi* nomen ex Aethiopia in Aegyptum delatum esse suspicati sunt et probare studuerunt. Allato habessinico nomine *Hobē* hanc rem diiudicatam esse censeo. Arabum vox *Robah* aut per litteram *rh* ڔ loco *h* ح et *k* ك ex eodem fonte manasse, aut, quod verisimilius est, ex voce semitica *Rob* et *Rabb* i. e. Dominus, Rex, Numen divinum, aliquod antiquae venerationis vestigium retinuisse potuerit, quod recentiores, mutata vocis terminatione, cum ipso cultu oblitterarunt.

Qui ad explicandam CYNOCEPHALI aegyptiaci, *Sphingis*que antiquorum et *Hamadryadis* recentiorum obscuram historiam viri docti operam contulerunt, in eo peccarunt hucusque omnes, quod *Hamadryadis* statum iuvenilem nondum observatum fuisse non respexerunt, quod Aegyptiorum icones in monumentis eorum exaratas pictasque non studiose satis compararunt et quod Aethiopiae et Arabiae longe plures Simiarum species tribuerunt, quam quae illic vere habitant. Hinc factum est, ut aut diversas plures Simiarum species promiscue ab Aegyptiis adoratas esse censerent, aut in Aegypto nunquam visas species eorum cultui suggererent, *Hamadryadem* vero Marem adultum a sua femina catulisque specie diversum haberent ac atrocissime separarent.

---

b. *Le petit Papion* de Buffon propter pilos distinctius variegatos, palmas posteriores breviores et cubitos (crura) longiores, ad *Sphingem* capensem (C. *Papionem*) delegandus videtur. Cauda eius mutilata fuit.

c. C. *Anubin* Frid. Cuvier et Geoffroy *Hist. nat. des Mammif.* fasc. L. ad *Papionis* capensis aut guineensis statum iuvenilem propius accedere, cum Aegypto affinitatem, praeter nominis, nullam habere in memoria tenendum est.

d. Caput Cynocephali *Babouin* secundum mensuram Frid. Cuvier, si cum nostra mensura compares, valde elongatum est, si vero icones respicias in metiendi methodo potius, quam in forma differentiam esse censebis. Guineensem aliquam speciem existere posse, quae inter *Papionem* seu *Sphingem* Schreberi et *Hamadryadem* iuvenilem media et ab utroque diversa sit, negare nemo dum potest, sed antiquorum *Cynocephalum* illam fuisse negandum est.

(1) Burchas II. p. 1726. Alii aliis in locis idem experti sunt, sed multi Bramanorum in animalium vita servanda religionem pro veneratione perperam habuerunt, quae tamen alias non deest. Sacram Indorum Simiam *Macacum sinicum* esse Desmarest laudat. *Mammalogie* MDCCCXX.

In Aegyptiorum monumentis Simiae plures formas speciesque distingui posse sane liquet, verum unicam formam sacram fuisse eo patet, quod quae Simiae in ara sedentes et hominum venerationem accipientes fictae sunt, unam eandemque formam referunt, ad CYNOCEPHALUM *Hamadryadem* optime quadrantem. Praeterea vero Aegyptios Simiarum icone ad exprimendas certas linguae formulas ideasque usos esse facile intelligitur. Hinc etiam capitibus Simiarum pro variis ideis varias formas dederunt, quae zoologos, non naturam, sed icones solas consulentes, in errores ducere facile possent. Aliis enim rostra longiora et acuta, aliis breviora et truncata dederunt. Quae valde acuto ore sunt, eis Vulpis aliquem characterem adscribere voluisse crediderim. Interdum hominis corpori Simiae caput solummodo dederunt. Alia ora aliis capitibus corporibusque affigere Aegyptiorum vulgatissimus mos fuit. In nubicis monumentis, in quibus delineandis Gau studium egregium posuit, nonnullae Simiarum figurae tam acuto rostro pictae sunt, ut ea forma Simiarum toti familiae a natura negetur ideoque, si vera, aperte idealis sit.

Icones illae omnes masculae sunt, neque unquam in ara feminam aut catulum sedentes pictos vidimus, semper Marem adultum late comosum. Figulinis etiam et metallicis Simiarum idolis Aegyptii in domibus utebantur eaque mortuis addere solebant. Horum enim idolorum copia inter urbium rudera et in sepulcris reperitur et in aegyptiacorum monumentorum thesauris frequens servari solet. Eadem vero ad Marem comosum omnia quae vidi pertinent. Asphalto etiam post mortem condita Simiarum ipsa corpora ad nostra usque tempora servata sunt. Egregie servatam masculam Mumiam Belzoni Hermopoli reperit et in Opere suo pictam dedit. Hoc *Hamadryadis* specimen divino cultu ipsum adoratum fuisse verisimillimum est. Tôchon d'Annecy denique MDCCCXXII nummum Hadriani descripsit, Hermopolitano Nomo dicatum, qui Cynocephalum sedentem caudatumque gerit.

Neque vero desunt, quod supra innuimus, in Aegyptiorum monumentis aliarum Simiarum icones, rarissimae licet inveniantur, quae diversam ab *Hamadryade* speciem aperte indicent. *Cepi* i. e. CERCOPITHECI *pyrrhonoti* supra descripti exaratam iconem in lapide memphitico sepulcrali Berolini servari ad *Pyrrhonotum* notavi; duplicem eiusdem forsan speciei iconem pictam in Hypogaeis thebaicis artifices delinearunt, qui cum Napoleone illic fuerunt. Tertiae speciei iconem (*Cercocebi Sabaei?*) Denon dedit, aliamque in sepulcrali simili lapide Berolini servari, ad *Pyrrhonotum* retuli. Corpus gracilius, artus longiores et rostrum brevius, cum naso non terminali et cum auribus nudis (non obvelatis) has alteras formas distinguunt, quarum prior mystacibus amplis insignis est, quae alteri deficiunt. Ecaudes Simiae in monumentis Aegyptiacis atque in terris Aegypto vicinis nullae unquam repertae sunt.

Notissima Aegyptiorum gigantea moles, memphitica Sphinx Hamadryadis comosum caput cum facie humana refert eodemque capitis et capillorum ornamento Sphinges reliquae minores fuere; omnes vero totasque Nubiae gentes hodieque eodem modo Simiam imitare supra memoravi.

Id denique addiderim, Simiae sacrae apud Aegyptios antiquissimos verisimiliter nec nomen *Hobe* aut *Koph,* nec *Kapi* aut *Kepos* fuisse, verum nomina *Thoth* et *Och* apud eos in usu fuisse, quod vel inde colligi potest, quoniam haec nomina Mercurium (Deum) et Lunam significarunt, quorum Symbolum Simia sacra *Hamadryas* fuit, vel ea de causa probabile est, quoniam in Habessinia hodieque nomine *Tata* aut *Tota* Simiae species appellatur, quae ab ipsa *Hamadryade* verisimiliter non differt, quod infra probabo.

Haec de vocibus iconibusque antiquissimis aegyptiacis, quae ad explicanda Simiae sacrae antiquum nomen, cultum et formam faciunt hactenus. Ut vero de Simiarum veteribus Aegyptiis cognitarum numero et natura sententiam stabiliamus, scriptorum testimonia chronologico ordine brevi enumerare lubet.

Agatharchides de Mari rubro c. 28. *Sphinges* et CYNOCEPHALOS et *Cepos* ex Troglodytarum terra et ex Aethiopia Alexandriam mitti scripsit, ideoque in Aegypto nullas, verum in proximis illi terris tres Simiarum species enumeravit.

Plinius Aethiopiae in Maris rubri littore septem diversas Simiarum species tribuit. *Sphingia* et CYNOCEPHALOS a Neronis exploratoribus ab insulis Artigula et Tergedo inde visa esse VI. 30. (35.); *Sphingia* ab oppido Adulito Troglodytarum et Aethiopum emporio in mari rubro deferri VI. 29. (34.); Callitrichen Simiam aethiopicam vocat VIII. 54. (80.). De *Cepho, Lynce, Sphinge* et *Cercopitheco* in Aethiopia habitantibus VIII. c. 18. et 19. verba fecit. Plinium varias autopsia non probatas, nec bene ponderatas relationes coniungere et miscere facile quivis intelligit. Lyncis duplex apud eum significatio est, altera Simiae Lyncis, quae in tabula Praenestina musaice quod dicimus picta est, altera Felis Lyncis, quae Lyncurium largiatur.

Recentiori tempore primus Monachus Alvarez de Simiis Aethiopiae retulit. Ille quidem annis MDLXX—LXXVI Habessiniam sexenni itinere peragrans magnas Simiarum comosarum greges sibi occurrisse in itinerario aliquoties notavit, varias vero Simiarum species sibi visas esse non refert, sed unicam eum *Hamadryadis* formam vidisse constat. Cfr. itinerarium eius germanicum p. 108.

Prosper Alpinus dein MDLXXX „in Aegypto nullum Simiarum genus nasci, cuiuslibet tamen generis et ex Arabia felici et ex Aethiopia innumerae mercaturae causa illic convehi" expertus est, quae observationes longe serius posthumae prodierunt. Simiarum in Aegypto visarum aut ex Aegypto Venetias allatarum Alpini icones ad 5 species referendas iudico. Primam speciem *Macaco Inuus* ecaudis largitur Tab. XV. 1. Tab. XVI. et aetate iuvenili Tab. XX. 1. hunc vero ex Mauritania in Aegyptum allatum fuisse procul dubio est, in Arabia enim et Aethiopia eum non habitare ipse testor. Alpinus post reditum ex Aegypto se icones plurimas ad Simias Venetiis oblatas, quas ex Aegypto ductas alii dixerunt, pingi iussisse, ipse auctor est. Ad secundam speciem, quae CYNOCEPHALI *Hamadryadis* nomine vocanda est, Tab. XVII, XVIII et XIX pertinent, eaeque icones statum adolescentem necdum adultum reddunt. Tertia species CERCOPITHECUS *fuliginosus* esse videtur (*Le singe noir d'Egypte* Brisson) eaque, quae rarissime ex interiore Africa (Darfur) in Aegyptum defertur, Tab. XX. fig. 2. et Tab. XXI. picta est. Quartam speciem CERCOPITHECUM (CERCOCEBUM) *Sabaeam* esse iudico (*subviridem*) Tab. XX. fig. 3; quintam denique CERCOPITHECO *pyrrhonoto* nostro (*Le singe rouge d'Egypte* Brisson) expleri procul dubio est eaque male picta exstat in Tab. XX. fig. 4. Cum icones Venetiis pictae sint, de vera nonnullarum formarum patria dubitare licet ut supra monui.

Ludolf in Historia Aethiopiae MDCLXXXI duas tantum habessinicas species indigenarum vocibus indicavit, alteram maiorem amharice *Tota* vocatam, alteram minorem, quam *Hobē* amharice appellent; praeterea Lemuris speciem *Fonkes* et amharice *Guereza* dictam.

Hasselquist MDCCL duas aegyptiacas, ex Aethiopia vero allatas, species enumeravit, *Hamadryadem* feminam et CERCOCEBUM *Sabaeam,* quas SIMIAM *aegyptiacam* et *aethiopem* vocat.

Forskål MDCCLXII idem duas species in Aegypto et Arabia expertus est, SIMIAM *Robah* (*Hamadryadem*) et *Nisnās* (*Pyrrhonotum*).

Niebuhr in Arabia unicae speciei greges vidit.

Circa annum MDCCLXX *Hamadryas* Mas adultus Moccha Arabiae Londinum delatus est eiusque iconem ab Edwardsio pictam creberrime repetitam zoologi bene noverunt. Persicus ille et *Singe de Moco* perperam vocatus est.

Bruce MDCCXC de Simiarum habessinicarum gregibus locutus est, specierum vero numerum non notavit.

Valentia MDCCCVI Itiner. II. pag. 481 in Habessinia tres species se distinxisse narrat, maiorem coma alba et minorem coma destitutam, tertiam denique minimam barba alba et caudae annulis albis. Hanc Lemurem Ludolfii fuisse liquet. In Vol. III. pag. 238. parvas maiorum catulos visas esse et arabicas Simias Mocchae vulgares aequare idem tradit.

Salt duobus itineribus in Habessinia bene versatus, praeter duas Simiarum et Lemuris speciem ibi nullas vidit, idemque MDCCCX nomina a Ludolfio scripta vice versa ita adhiberi retulit, ut maior Simia *Hevve,* minor *Tota* vocetur.

Calliaud MDCCCXXII Nubiam peragrans in provincia Sennaarensi, vera Aethiopia, tres Simiarum species habitare expertus est, quas SIMIAE *Sphingis, rubrae* et *subviridis* nominibus appellandas censuit. *Hamadryadis* feminam, aut adolescentem, sua coma nondum ornatam, Calliaudum et viros doctos, quos consuluit, pro *Sphinge* habuisse verisimillimum est. SIMIA *rubra* eius ad nostrum *Pyrrhonotum* spectare et SIMIA *subviridis* nimia ad *Sabaeam* affinitate laborare videtur.

Equidem cum Hemprichio anno MDCCCXXII Dongalam perscrutatus sum ibique SIMIAM *Sabaeam* aliquoties apud milites turcicos vidi et ipse dono accepi, habitationem eius duorum dierum itinere distantem retulerunt. Praeterea CERCOPITHECUM *Pyrrhonotum* apud mercatores e Cordofan et Darfur redeuntes vidimus, eumque illic indigenam esse audivimus. De aliis Simiis notitiam non accepimus. In utraque Aegypto, Nubia et Dongala Simiarum nulla species habitat. Primae Simiae in Africa nilotica hoc tempore ultra Dongalam reperiuntur, dierum duorum itinere ab Embukohl, meridiem versus, iique ad *Sabaeae* speciem pertinent.

Anno MDCCCXXIV CERCOPITHECUM *fuliginosum?* captivum Alexandriae vidimus, quem rarissimum et ex Darfur allatum censuerunt. Varios magnos Cynocephalos in Aegypto apud circulatores vidimus, quorum diversas omnes formas serius ad *Hamadryadis* varium sexum et aetatem retulimus.

Anno MDCCCXXV in Arabiam navigavimus ibique in Wechabitarum montibus, trium dierum distantia a Gumfude, primas arabicas Simias sylvestres vidi. Marem adultum bene comosum cinereumque cum femellis iuvenilibus fuscis, nec comosis, in rupe iocantem vidi, diuque contemplatus, sed frustra venatus sum. Gumfudae catulum masculum femellis illis simillimum vivum recens captum vidi et postero die mortuum accepi.

Eodem anno in Habessiniae littore in sylvestribus montis Gedam Hemprich duobus Maribus adultis late comosis venatione potitus est. Equidem prope Eilet in montibus Taranta dictis copiosissimam gregem prope aquam ita propinquam vidi, ut medius in ea essem. Feminam adultam CYNOCEPHALO *Sphingi* simillimam, neglectis propinquioribus aliquibus maribus occisuro

Diana non favit, sed differentias sexus et aetatis gravissimas miratus sum et bene perspexi. Ex Habessinia per Arabiam in nave rediens Djeddae feminam iuvenilem in Arabia captam emi et vivam Berolinum attuli, quae vero morbosa evasit et in Pavonum insula Potsdamensi post duos annos mortua est.

Ex hac observationum enumeratione praeclare patebit, 1) in Aegypto et Nubia nullam habitare, nec unquam habitasse Simiam, 2) in Arabia frequentem et gregariam observatam esse Cynocephalum *Hamadryadem,* praeterea vero nullam speciem, 3) in Aethiopia ultra Nubiam ab occidente Habessiniae quatuor species observatas esse, α. C. *Sphingem* a Calliaudo vocatam, quam, cum auctor laboriosus ac meritissimus in historia naturali non versatus fuit, pro femina aut adolescente *Hamadryadis* tam diu habendum censeo, donec novae exactae observationes illam sententiam probaverint, β. γ. δ. Cercopithecos: *pyrrhonotum, Sabaeam?* et *fuliginosum?* 4) in Habessinia unicam forsan speciem cum Lemure habitare, quae vero pro diversa aetate et velleris colore duobus nominibus appelletur. Nos unicam valde variabilem vidimus; Valentia de duarum diversitate in ambiguo fuit.

Hinc probabile esse censeo, antiquorum Aegyptiorum sacrum Cynocephalum et *Sphingem* ad unicam Cynocephali *Hamadryadis* speciem, praeter quam aliam eos novisse verisimile non est, referendos esse.

CYNOCEPHALUS *Hamadryas.*

Character essentialis.

C. statura Canis *venatici* maioris; Orbitis oculorum, elatioribus; naso oris longitudine, aut, pro aetate, parumper prominulo; cauda apice floccosa, clavata; mare adulto late comoso iubatoque, tanquam pileato et palliolato, auribusque obtectis, cinereo; feminis et catulis olivaceo brunneis pileo pallioque carentibus, villosis; omnium brachiis caudaque parumper obscurioribus; adultorum facie sordide carnea, iuniorum fuscescente, ad oculos pallidiore.

Partium dimensio ad sceleton, cranium et pelles facta:

	Maris adulti I. pellis:	Maris adulti II. pellis cum cranio:	Maris adulti II. cranii exemti:	Maris iuvenilis pellis:	Feminae iuvenilis sceleton:	
Longitudo totius ab ore ad basin caudae (a latere ope bacilli) .	2′ 4″ 3‴	–′ –″ –‴	–″ –‴	–′ –″ –‴	–′ –″ –‴	paris.
(a dorso ope fili) . . .	2 7 3	2 9 4	– –	1 6 3	1 6 7	
capitis ope bacilli	– 7 3	– 7 6	7 4	– 4 3	– 5 3	
rostri a fronte ad nasi apicem	– 3 5	– 3 11	– –	– 1 9	– – –	
colli ad primam costam usque	– – –	– – –	– –	– – –	– 2 1	
stirpis caudae	1 6 8	1 5 10	– –	– 10 –	1 1 3	
flocci caudae	– 2 6	– 3 –	– –	– 1 6	– – –	
auris a basi superiore	– 1 2	– 1 2	– –	– – 10	– – –	
—— – —— inferiore aperturae	– 1 9	– 1 9	– –	– 1 $2\frac{1}{2}$	– – –	
nasi ab apice ad palpebrae inferioris marginem . . .	– 3 1	– 3 3	– –	– 1 4	– – –	
rictus oris	– 1 9	– 1 9	– –	– – 10	– – –	
ab oculi margine superiore ad maxillae finem (sine dentibus)	– – –	– – –	4 3	– – –	– – –	
brachiorum anteriorum a cubiti angulo posteriore (cum manu)	1 – 3	1 – 8	– –	– 7 –	– 8 6	
palmae anterioris	– 3 10	– 4 –	– –	– 2 7	– 2 11	
brachiorum posteriorum a medio cubito posteriore ad soleam (sine manu)	– 8 9	– 7 4	– –	– 4 6	– 5 9	

	Maris adulti I. pellis:			Maris adulti II. pellis cum cranio:			Maris adulti II. cranii exemti:		Maris iuvenilis pellis:			Feminae iuvenilis sceleton:			
Longitudo palmae posterioris	-′	6″	4‴	-′	6″	4‴	-″	-‴	-′	3″	11‴	-′	4″	7‴	paris.
unguis maximi manus anterioris	-	-	3	-	-	3	-	-	-	-	$2\frac{3}{4}$	-	-	-	
—— —— —— posterioris	-	-	4	-	-	$4\frac{1}{2}$	-	-	-	-	3	-	-	-	
pollicis anterioris	-	-	9	-	-	10	-	-	-	-	5	-	-	7	
—— posterioris	-	-	11	-	-	11	-	-	-	-	6	-	-	8	
digiti medii anterioris	-	1	3	-	1	3	-	-	-	-	10	-	1	5	
—— —— posterioris	-	1	5	-	1	5	-	-	-	-	11	-	1	5	
Distantia mutua aurium basi superiore	-	4	-	-	4	3	-	-	-	2	7	-	-	-	
—— aperturae meatus auditorii	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	2	3	
—— oculorum minima	-	-	$7\frac{1}{2}$	-	-	9	-	-	-	-	$7\frac{1}{2}$	-	-	$3\frac{1}{2}$	
oculorum ab apice oris	-	3	7	-	3	9	-	-	-	1	6	-	1	11	
aperturae meatus auditorii ab apice oris	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	3	10	
baseos auris ab apice oris	-	5	1	-	6	1	-	-	-	3	4	-	-	-	
apicis nasi ab apice oris nulla	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
Latitudo nasi	-	-	10	-	-	11	-	-	-	-	5	-	-	-	
aurium baseos	-	1	-	-	1	1	-	-	-	-	10	-	-	-	
oculorum coniuncta	-	1	9	-	1	11	2	4	-	1	$4\frac{1}{2}$	-	2	2	
oculi singuli	-	-	6	-	-	6	-	11	-	-	$4\frac{1}{2}$	-	-	$11\frac{1}{2}$	
capitis maxima	-	4	3	-	4	11	4	1	-	2	5	-	2	$2\frac{1}{2}$	
—— in medio rostro	-	2	-	-	2	4	-	-	-	1	2	-	-	-	
—— — —— —— dentitione dilatato	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	1	10	
oris maxima	-	1	11	-	1	11	-	-	-	-	9	-	-	11	
septi narium	-	-	1	-	-	1	-	-	-	-	1	-	-	-	
ossis maxillae superioris apicalis maxima	-	-	-	-	-	-	1	6	-	-	-	-	1	-	
Ambitus capitis maximus	1	4	9	1	6	9	-	-	-	9	-	-	10	4	
caudae basalis	-	3	9	-	3	7	-	-	-	2	3	-	-	-	
trium pollicum distantia ab apice	-	2	-	-	2	-	-	-	-	1	2	-	-	-	
oris extremi	-	8	-	-	8	-	-	-	-	4	8	-	-	-	
Altitudo capitis maxima in fronte	-	4	4	-	4	9	4	1	-	2	6	-	3	2	
cristae occipitalis	-	-	-	-	-	-	-	4	-	-	-	0	0	0	
mandibulae minima	-	-	-	-	-	-	1	1	-	-	-	-	-	$10\frac{1}{2}$	
narium aperturae	-	-	5	-	-	6	-	-	-	-	2	-	-	-	
dorsi anterior ab interscapulio ad palmam anteriorem	1	4	9	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
—— posterior a prymna ad palmam posteriorem	1	4	6	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	

Descriptio Maris adulti:

Erectus quadripedali altitudine, hominem parvum aequat. Sedentis altitudo $2\frac{1}{2}$ pedes accedit. Rostrum elongatum, nudum (pilis raris hirtum), sordide carneum, circum oculos pallens. Nasus caninus sulco levi medio, os parumper excedens, interdum solummodo aequans. Iris fusco-ferruginea. Pilus: Caput et totum corpus usque ad inguina longis pilis obvelata, a prymna et regione inguinali inde vero corpus pilis brevissimis vestitum, tanquam rasum, cruribus manibusque posterioribus paullo longius pilosis. Ob mystaces latissimas, aures obtegentes caput a fronte triquetrum, tanquam caliendro ornatum apparet. Latitudo capitis comosi pedalis. Colli iugulum fere nudum, cervix longe pilosa. Ab humeris et pectore in toto dorso et abdomine iuba longa pendet, quae pallium refert. Iubae pili 8 ad 9 pollices longi, omnium longissimi, brachii cubitum superant. Manuum pedumque longiores pili sesquipollicares. Color: Mystaces capitis et uraeum totum pilis dilute maculatis cinereo-albent, reliquae omnes velleris partes pilis variegatis fusco cineraceae sunt. Uropygium ad genua usque albicat. Medium dorsum fuscescit, cum nigredine in vertice lineari. Latera et pectus cinerascunt. Brachiorum, imprimis anteriorum et caudae pilus saturatius cinereus. Manus dorsum nigricat, pedis rufescit. Caudae summus floccus

fuscescens. Faciei tenuis barba cana, nigris setis mixta, nonnullis in mento albis. Supercilia tenuia nigra, nonnulla sesquipollicaria, prope basin fusco maculata. Aures sordide carneae, totae mystacibus involutae, albis pilis ciliatae. Uraei et caudae pili semipollicares, aut vix pollicares, illi albi, hi nigro variegati, versus apicem caudae sesquipollicares et fere tripollicares. Manuum pili basi et apice albi, maculis mediis 5 nigris, 4 albis variegati. Iubae pili basi longius cinerei, maculis 11. Cauda teres aequabilis dimidia corporis longitudine, apicem versus parum gracilior. Clunes nudae, sanguineo carneae, tubere Ischii calloso. Natium nuditas $3\frac{1}{2}$ pollices ultra callum protensa, orbicularis. Vola manuum fuscescente carnea. — Captivum saevum animal et atrox, nunquam familiare, vincto ore verberibus ad varias pueriles, lascivas turpesque artes a circulatoribus cogitur. THOTH et CYNOCEPHALUS Antiquorum!

Feminae adultae:

Magnitudine Marem aequat, colore piloque valde differt. Pilus ubique olivaceo et brunneo variegatus, interdum virescens. Mystaces parvae, aures non involventes, concolores, aut pallidiores. Iubae vestigium non omnino deest, sed villum longum efficit, nec in pallioli formam abit. Pilus eius ad Ursi pilum propius accedit, nec ad Leonis, cui propior Mas est. Gula cum pectore parum pilosa, interdum nuda, cute pectoris et abdominis livida. Manus reliquis paullo obscuriores pilos gerunt, praecipue vero anteriores. Feminae vetulae irregularem canitiem in stethiaeo prae se ferebant. Facies manusque, veluti apud mares, cute sordide carnea obductae; clunes nudae sanguineo-carneae, tubere ischiadico calloso. Menstruatur et oestri tempore genitalia externa valde tumentia sanguinea cernuntur, quod pro hernia veteres et recentiores, imo pro charactere alius speciei habuerunt, quod vero Herrmann et post eum G. Cuvier bene explicaverunt (Herrmann Obs. zool. 1804 pag. 2.). Saevum animal, sed Mare adulto mitius, multo frequentius a circulatoribus instructum, ante pubertatem mitissimum. SPHINX Antiquorum!

Catulorum sesquipedalium:

Indole mitissimi sint; dorso toto fusci, ventre pallidiores, iubae et mystacis vestigiis nullis, pilis aequaliter hirti, hinc a Mare adulto habitu, colore, magnitudine et indole quam maxime diversi. Manus supra obscuriores, nigro variegatae; pedes supra obscurius fuscescunt, colore parum saturatiore. Supercilia nigra, basi fulva, lineam levem pallentem in crista frontali largiuntur. Caudae basis obscurius fusca, apex flocco clavatus, quadripollicari longitudine albicans. Aurium cilia albent. Iugulum et pectus parcius pilosa. Iridis color, ut in adultis. Rostrum brevius magis acutum cuteque fuscescens, oculorum area carnea. Volae et aures rostri colore. Mitissima animalia semper ludunt, semper iocosa, saevitatis parentum, propriaeque futurae, ne umbram quidem prae se ferunt, amabilia.

Catuli feminei a masculis donec primos dentes servant non differunt, mutatis vero hisce iuba Maribus crescit pilusque cinereum colorem induit. Simul qui mites antea fuerunt atrociter saeviunt. Feminae sesquipedales menstruantur et concipere videntur antequam adoleverunt. Variae enim magnitudinis matres catulis onustos in gregibus vidimus. *Hobā* Ludolfi! Vulgaris mocchensis species, et altera habessinica Valentiae II. 481! *Tota* Saltii!

Adolescentum:

Hamadryades utriusque sexus adolescentes feminam adultam aequant. Color cinereus Marium cum iuba non ante dentitionem secundam prodire videtur. Dentibus secundis validioribus expertes indole miti sunt, etiamsi magnitudine adultos fere aequent, eosdemque plurimos apud Orientis circulatores vidimus. In gregibus sylvestribus horum maxima copia. Severiores catulis, saevi non sunt. Huc referendus videtur Cynocephalus *Babouin* Gallorum et zoographorum recentiorum omnium. Praeterea ad hanc formam animadverterim: *Hamadryades* Mares captivos forsan ultra hunc statum rarius evolvi, iubamque et cinereum colorem solummodo sylvestribus statu libero contingere. Tales evolutionis retardationes apud animalia captiva non sine exemplo sunt et sic forsan explicari poterit, quomodo factum est, ut etiamsi procul dubio *Hamadryadis* iuvenilia mascula specimina frequentia in Europa visa et nutrita sint, mutatio tamen eorum in formam cineream comosam nunquam observata sit. Exemplum retardatae mutationis Femina fuit, quam vivam mecum duxi et quae pellem et magnitudinem catuli parum mutavit, etiamsi secunda dentitio, quarto ut videtur aetatis anno, fere peracta esset. In ipsa vero dentitione, osse maxillari valde tumido, mortua est. Ibidem Simiam *Wagleri* refero. — Id etiam fieri posset, ut captivo statu Marium secunda dentitio perfecte perageretur, ac bene cederet, nec vero iuba, nec cinereus color prodirent. Propter negatam hucusque mutationis perfectae apud captivos observationem talem causam subesse verisimile iudico.

Prima specimina sylvestria me, meridiem versus nobis peregrinantibus, in Wechabitarum Arabiae montibus in valle Wadi Kanunc e regione Gumfudae, latit. geogr. gradu 19mo, vidisse supra indicavi. Quinque speciminum gregem primus equidem cum famulis vidi, Marem comosum cinereumque adultum cum quatuor femellis minoribus fuscis. In altae rupis cornu libero supra rivulum sedebant. His potiti non sumus. Dein Marem iuvenilem recens captum, femellis illis, quas sylvestres videram, simillimum in ipsa urbe Gumfude vivum vidi mortuumque postero die accepi, dissecui pellemque Berolinum attuli. Captiva postea complura in Arabia vidimus. Sylvestria altera Hemprich prope Arkiko, latit. geogr. gradu 15to, in Habessiniae montibus ac sylvis vidit idemque cum famulis nostris duobus Maribus adultis cinereis comosisque, illi simillimis, quem ante paucas hebdomades in Arabia admiratus eram, potitus est. Horum pelles nunc in Museo berolinensi bene farctae exstant. Centenarum simiarum eiusdem speciei greges viderunt. Equidem postea prope Eilet in montibus Taranta dictis in eadem illa Habessiniae regione alteras greges, centenis omnis aetatis sexusque speciminibus, maximam partem iuvenilibus fuscisque constantes observavi. Eae vero ita compositae erant, ut fere 10 Mares adulti cinerei et viginti fere adultae feminae essent, reliqua pars adolescentibus catulisque conficeretur; ideoque totius gregis minima pars cinereo colore, maxima fusco erat.

Approperantes ad aquam aprorum gregem referebant, grunnitu e longinquo late perceptae, quaternisque pedibus, canum more, proni incedebant; Mares adulti agmen claudebant, catuli ducebant; Feminas, prole equitante onustas, medias vidimus, ridiculas, praeterea vero nullus ordo, clamor magnus. Indigenas Gallas et Habessinas non timebant, sed proxime iuxta

illos bibendi causa aquam petebant et gregem colligebant, mutuo nullo metu; candidiore vero cutis nostrae colore armorumque nitore novisque aliis rebus stupefacti paullo remotiores a nobis consistebant et interdum aqua non hausta abibant. Proximi nobis semper adulti Mares erant, ideoque feminam aut catulum occidere illo tempore non contigit, etiamsi facile multos Mares occiderimus. Cum vero quovis sclopeti ictu perterrita grex tota aufugeret, post duos Mares caesos, feminarum difficiliore venationi soli operam dare scientiae commodum esse duximus; mora nostra cum parca esset, frustra studia fuerunt. — Appropinquantibus nobis ad gregem, erectae stabant omnes Simiae, proximique mares adulti; reliquae, manentibus his, vultu nobis adnoto, sensim longius abibant denuoque consistebant; abeuntibus maribus, fugae celerrimae cum magno clamore se dabant omnes. De militari gregum illarum ordine Alvarez aliique fabulosa retulisse visi sunt, cum vero non desit ordo, non vituperandi sunt illi, eosque testes lubenter commendo ac laudo.

Arabiae incolae his Simiis nomen *Robah* aut *Robba* رباح uno ore dabant, generale vero Simiarum nomen apud eos *Kird* قرد est. In Habessinia earundem Simiarum nomen Hemprich *Kerai* et *Keraitu* scripsit. Habessinus aliquis mihi nomen *Kombey* pronuntiavit, a monacho vero aliquo habessinico, scribendi perito, homonyma haec didici: Simiam, quam Arabes *Robah* dicant, amharice dici *Hobē* aliis *Kombē* et vocem *Karrai* alii alicui villoso animali dari, quod Arabes *Dubb* (Ursum) vocent, quod illi Simiae simile et atrox sit. De hoc Habessiniae (Africae) *Urso* ad *Ursum syriacum* locutus sum.

Tristissima amici Hemprichii famulique alicuius morte proprioque et plurimorum famulorum gravissimo morbo Habessinia expulsus in recessu Arabiam nave iterum petii. *Djeddam* appulsus iuvenilem *Hamadryadis* arabicae vivam feminam, 18 fere mensium aetate, apud Arabem vidi et emtam in Europam duxi. Nomine arabico *Filfil* appellatum iocosum mitissimumque animal in Pavonum dicta regia insula prope Berolinum per duos annos nutriebatur, tunc mortuum est. Scrophuloso aliquo morbo laborasse videtur, ossa enim tophacea erant. Hinc etiam sceleti mensurae supra datae caute comparandae sunt. Sanguinis emissio et genitalium amplissimus menstruus turgor, herniam sane imperitis referens, tertio fere vitae anno pubertatem indicarunt. Magnitudo eius parum augebatur. Pili nonnulli cineraceum colorem, morbosum, praesertim in capite inducbant et hic illic promissiores erant. Dentitio secunda praeparabatur eaque maxillas valde tumidas reddens, vultum omnino mutaverat et mortem attulisse videtur. — *Filfil,* viso cane, aut quavis alia causa perterrita tremebat, urinam ipsasque intestini faeces emittebat ac dilatato ore maxime acutum clamorem *krī ī ī ī ī ī* et *krae ae ae ae* trahebat. Homini sexus utriusque lubentissime se associabat. Aliquo desiderio flagrans bene expressas voces *kĕkĕkĕkĕ* saepe iterata vice edebat. Blandiens animoque tranquillo multum garriebat, ac modo vocibus *kŏ kŏ kŏ kŏ* aut *ŏ ŏ ŏ ŏ*, modo etiam *mullŭlŭlŭ* et *ŭ ŭ ŭ ŭ* utebatur. Saccos buccales manibus cibo replebat eademque multo scitius et frequentius, quam *Pyrrhonotus* manibus utebatur. Sponte sua nullaque arte instructa *Filfil* pilos parvos in virorum brachiis et manuum dorso obvios studiose carpebat omnemque animum et oculi aciem in eam rem intendebat, tanquam quae ex aliquo grati animi impulsu Ricinos aliosve pilorum parasitos eximere studeret, nec ullam cutis verruculam intactam relinquebat, impedita vero multum garriebat. Eadem eius capillorum cura erat. Mensae nostrae omnis generis reliquias comedens, fructibus dulcibus delectabatur; insectis etiam variis vescebatur. Libidinosa non raro nates loquax porrigebat.

Adulti sylvestris Maris ungues digitorum brevissimi, fere semiorbiculares, carnem non superant, in captivis semper praelongi, semicylindrici curvatique, colore cornei.

In Maris iuvenilis intestino Gumfudae Ascaridem reperi, alia Entozoa non vidimus, nec Epizoa. In CERCOCEBO *Sabaea* dongalana Ricinum legimus, eos vero parasitos suo loco et ordine alibi describam.

De sceleto Feminae adolescentis nunc id solum tradiderim, costas 13 caudaeque perfecte servatae vertebras 24 numerari, quarum sex spinosae sunt. Dentes molares $\{^{4.\ 4.}_{4.\ 4.}$, laniarii $\{^{1.\ 1.}_{1.\ 1.}$, incisivi $\{^{4.}_{4.}$. Aperto ossis maxillaris tumore secundi dentes validiores hoc inclusi perfectique cernuntur. Dentes mandibulae postremi (primae dentitionis) non CYNOCEPHALORUM 5 tubercula, sed quatuor CERCOPITHECORUM tubercula gerunt, ultimus vero, qui, quinis tuberculis instructus, cum secunda dentitione prodit, in osse percipitur. In maxilla superiore iniens secunda dentitio 6 molares et caninum offert, verum prior molaris secundarius duos dentes expellit et inter caninum primarium et incisivos secundarius longe validior caninus in osse latet. Hinc factum esse videtur, ut fuerint zoographi, qui de sex maxillae molaribus scriberent. Si primarii canini formam et secundi diversum locum respicis, illum pro molari aliquo accessorio, sextove molari deciduo, habere posses, absente canino; si vero perfecte absolutam utramque dentitionem compares, valor et ordo dentium idem omni aetati erit. Crista occipitalis nulla, sterni partes octo.

Apud Marem adultum crista occipitalis valde distincta, quatuor lineas alta deprehenditur, cuius vestigium, ut apud feminam iuvenilem adsit, tantum abest, ut eodem illo loco, quo adulti crista exstat, sulci vestigium sit. Verum de morboso feminae illius statu supra scripsi. Attamen crista occipitalis in iuvenili aliorum animalium cranio saepius, forsan semper desideratur.

Dentes Maris adulti sylvestris 32, molares $\{^{5.\ 5.}_{5.\ 5.}$, inferiorum primo basi elongato et oblique conico, ultimo 5 tuberculato. Priores utrinque arcte ad laniarios positi. Laniarii maximi, acie acuta, Squalorum dentibus similes $\{^{1.\ 1.}_{1.\ 1.}$, superiores $1'' 3'''$ longi, inferiores $11'''$ longi. Incisivi $\{^{4.}_{4.}$ a laniariis spatio distenti; maxillarium intervallo $3\frac{1}{2}'''$, mandibularium $1'''$ longo.

Corollaria.

Praeter icones apud Synonyma laudatas Ludolfii tabulam in Historiae aethiopicae libro editam, quae totam gregem formicas edentem et irruentem Leónem lapidibus petitum refert, ea de causa percensendam duco, quoniam in ea tabula Simiae comosae nullae omnesque ecaudes pictae sunt. Illam nimirum tabulam, nec ad naturam, nec a zoologo pictam esse, ipsum argumentum eius testatur et sicut capenses Simias apud Kolbium ex memoria, aut phantasia potius pictas habemus, ita Ludolfius ex habessinicorum historiographorum relationibus istam iconem composuit. Praeterea Simiarum illarum aliqui mores in ea non ita male redduntur.

Friderici Cuvieri et Geoffroyi splendida Maris adulti icon, quae omnium optima hucusque fuit, in ea re a natura paululum aliena est, quod brachia et cauda colore iubae sunt, quae cum pedibus apud omnia nobis visa specimina obscuriora fuerunt. In hoc vero ipso charactere alii aliarum specierum differentiam posuerunt.

Marem adultum a fronte bene Edwards apud Buffonium et Schreberum dedit, eaque forma Archaeologis consulenda, nec contra naturam est.

Inter artes, quibus Cynocephali a circulatoribus instituuntur, plurimae notissimam hominum actiones imitandi Simiarum facultatem arguunt. Obolum colligere, baculo pueros castigare, saltare, turbulentam musicam tractare, pileum capiti imponere, cum aliquo viro manus conserere, se praecipitem rotare, pedibus in aërem sublatis supposito capite inversos stare, heri iussu varia utensilia apportare, cum eoque Arabum more ex una patina, non sine voracitatis exprobratione, coenari, has et centenas alias artes Hamadryades iuveniles addiscunt, adultae servant. Populus vero ubique, nec plebs solum, libidinosis gestibus maxime delectatur, quibus hominem, modo feminam, modo marem, mutato saepe naturali sexu, imitantur. Cum Hamadryades zelotypi ac in libidine furibundi sint, in addiscenda artificiosa illa obscoenitate, qua Mares adulti heri iussu ad certas leges alias Simias, masculas etiam, cum oestro vero violenter comprimunt, miram, detestabilem licet adspectu, aliquam docilitatem arguunt. Circulator dein risum eorum, qui adstant et applausum eo auget, quod Simiae dicit: O turpis, o flagitiosa Simia (*Robb* i. e. domine)! habesne rem cum filio? In plateis haec publice agi orientis lascivus et effrenatus mos est.

Hamadryadis specimen, quod vivum in Europam traduxi, data occasione facile in palos scandebat. Sylvestria nunquam in arboribus, verum in rupibus ipsoque solo currentes vidi. Neque fugati unquam in arbores scandebant, in alta rupe consistere solebant. Rhamni Napĕcae sylvestres arbores, fructum gratum in Arabia et in Habessinia largientes, a Simiis frequentari incolae retulerunt. Tales fructus apud Sciurum, Xerum, *brachiotum* pingi curavi.

De Cynocephali et Sphingis in hominum antiquorum cultum efficacitate alibi uberius scribam. Primam harum observationum notitiam brevissimam in Actis Sodalium Naturae curiosorum Berolinensium anno mdcccxxix publicatis dedi.

Cepum, Κεῖπον, Strabonis XVII. pag. 559 ed. Casaub. quem Babylonii aegyptiaci prope Memphim coluerint, *Hamadryadem* fuisse apud Cercopithecum *pyrrhonotum* e monumentorum sacrorum, ab *Hamadryadis* forma diversorum, defectu probare studui; nullus enim Simiae cultus,

praeter *Hamadryadis,* in tota Aegypto iconibus idolisque illustratus est. Attamen Strabonis testimonium, qui Cynocephali cultum Hermopolitanis, *Cepi* Babyloniis tribuit, ea de causa non transeundum est, quoniam Babyloniorum ipsorum eorumque Simiae *Cepi* nomen ad originem asiaticam una abeunt. Utrum colonici indicum Simiae, *Kapi,* cultum cum aegyptiacae Simiae, *Thoth,* cultu miscuerint, ulterius examen mereri videtur. Simiae *sinicae* icones in monumentis memphiticis non reperiuntur, ideoque Babylonii illi forsan nomen indicum conservarunt, cultum vero in *Hamadryadem* transtulerunt. Sed haec aliorum doctiorumque curae commendaverim. Cercopitheci sacra effigies, quae apud Iuvenalem in satyris V, 15. memoratur, quo lubet referri potest. Poëtica licentia caudatam omnem Simiam eo nomine appellare permittit et Cercopitheci vocis rythmus adonius versui aptior fuisse videtur.

Profanae Simiae (Cercopitheci, Cercocebi *Sabaeae*) icon etiam in collo Camelopardalis Thebis a Saltio reperta est, quam delineatam confer in Excellent. Menui de Minutoli itinerario Tab. XII. fig. 9.

Iconum nostrarum explicatio.

Omnia specimina ad tertiam verae magnitudinis partem redacta sunt. Mas iuvenis sylvestris medius; Mas adultus cinereus sylvestris a dextra; Femina adolescens captivitate retardata ac parumper degenerata, dentitioni secundae proxima, a sinistra est. Hanc vivam, illos ad pelles optime farctas, capitis pedumque ossibus in iisdem conservatis, quales Museum regium berolinense servat, pingenda curavi.

HERPESTES *leucurus* H. et E.

E DONGALA AETHIOPIAE.

Arabis dongalanis *Nims* نمس, Berberis seu Barbaris *Abu efēn* seu *Abu afn* ابو عفن vocatur.

Ichneutam Herodoti seu *Ichneumonem* Aristotelis aliorumque veterum Graecorum et Romanorum Herpestis speciem fuisse de eo zoographi iure consentiunt. Quae enim ab Aristotele inde de *Ichneumone* narrantur, fabulis quibusdam exceptis, ad haec animalia bene quadrant. Id etiam plurimi veteres scriptores affirmant, *Ichneumonem* inter Aegyptiorum animalia sacra fuisse: Herodotus II. c. 67., Aelianus X. 47., Strabo XVII. p. 598 ed. Casaub., Cicero, Plinius, alii. Nonnulli cum Strabone et Aeliano Heracleopolin urbem illo cultu claram nominant. Tôchon d'Annecy nummum etiam aliquem sculptum dedit, Ichneumonis iconem gerentem et Hadriani tempore in usum Nomi Letopolitani excusum. Quo graviora et crebriora illa testimonia sunt, eo magis mirum est, quod neque in Aegyptiorum monumentis sacri illius animalis icones bene expressae copiosaeque inveniantur, nec unquam, quod sciam, neque a Passalacqua, eius corpora bitumine condita reperta sint. Horapollo de cultu *Ichneumonis* nihil refert, nominis licet inter signa hieroglyphica mentionem fecerit. Iconem eius aliquam in Oaseos Siwanae templo Om beda (Ammonii candidi) pictam esse, Toelken auctor est. Gruoc nimirum in tabulis ad itinerarium Menui de Minutoli inter picturas illud templum ornantes animalculorum duorum icones delineavit, quorum unum Crocodili, alterum Ichneumonis nomine Doctiss. Toelken instruxit, Tab. IX. pag. 153. Gruocci, quem per aliquod tempus itineris nostri socium habuimus, picturas Segato Italus expolivit. Verus iconum tenuium character diiudicatu difficilis est. Templum visendi copia, impedientibus incolis, nobis non fuit. Si prius animal pro Crocodilo haberi debet, secundum facile pro Ichneumone nos etiam sane haberemus. Altera vero icon in Tabula XXII. eiusdem operis ad Felem etiam, Bubasti sacram, eodem iure referri posset, cfr. ibid. p. 400. Plura, quam difficultatem de antiqui Ichneumonum cultus historia tradere non huius loci est.

Unica hucusque in Aegypto et Nubia Herpestis species reperta erat, eamque Ἰχνευτὴν et Ἰχνεύμονα i.e. indagatorem antiquissimi Graeci, Arabes *Nims* نمس i.e. olentem et Europaei in Aegypto Belonii tempore *Murem Pharaonis* appellarunt. Forsan Coptorum vox *Hasite,* quam *Zoëga* et Barbarorum Tunetanorum vox *Tezer-dea,* quam Shaw laudat, idem animal designant; antiquissimum vero Aegyptiorum nomen facile *Hnès* fuit, sic enim Heracleopolis, quae Ichneumonem coluit, antiquitus appellata est. Cum in India, in australi et in occidentali Africa eiusdem generis aliae species observatae sint, nomina non sine controversia apud recentiores adhibentur. Primus Linné Ichneumonem *Melis* generi dedit. Indicam speciem Rumph

Serpenticidae et *Monci* proprio nomine salutavit, Brown genericum *Galerae* nomen alii speciei Guineensi dedit. *Mustelis* et *Viverris* Linné eas serius adnumeravit. Praeeunte Buffonio *Mangustae* nomen dein adhibuerunt, *Ichneumonis* genericum nomen alii dederunt; HERPESTIS nomen Illiger serius MDCCCXI ea forsan de causa constituit, quoniam *Galerae* nomen ignoravit, *Mangustae* pro barbaro et *Ichneumonis* pro speciali nomine habuit. Desmarest, Temminck et nuper Georgius Cuvier Illigeri nomen in Viverrae subgeneris valore suscipiendum statuerunt. Hos ego secutus sum. *Atilacis* novissimum nomen quo adhibeatur non habet. HERPESTIDIS Botanicorum nomen male HERPESTES dicitur, cum ab auctore Gaertnero HERPESTIS scribatur.

Ex errore Buffonium Arabum nomen *Nems* indicae speciei dedisse zoologis notum ac emendatum est.

Praeter vulgarem illam et a Belonii tempore inde iconibus illustratam Aegypti speciem HERPESTEM *Ichneumonem*, cuius iconem bonam vero primus Geoffroy dedit, nos aliam in Nubia frequentem observavimus et venatione acquisivimus, quam nunc HERPESTIS *leucuri* nomine descripturus sum, tertiae speciei notitiam in Dongala accepimus, quae in provincia Cordofan habitet et colore rufescente fasciatoque insignis sit. Hanc Rüppell Francofurtum attulisse videtur, eademque ad cognitas species referenda non videtur. Apud Georgium Cuvierum in secunda editione Regni animalis, quae MDCCCXXIX, postquam icones nostrae dudum sculptae atque pictae erant, prodiit, duae species albicaudes enumerantur, quarum una capensis HERPESTIS *penicillati* nomine appellatur, altera, senegalensis, HERPESTIS *albicaudi* nomen gerit. Cum vero praeter nomen Illustrissimus auctor characteres non addiderit, ipseque profiteatur: „*mais il est difficile d'établir entre ces animaux des limites bien specifiques*," nominibus illis, quaqua veneratione memoriam eius servo ac lugeo, systematicum valorem tribuere nequivi. Nostrae speciei characteres plurimi sunt, qui oculatissimum Cuvierum certo non fugissent, si in animalibus quae coram habuit, adfuissent.

HERPESTES *leucurus*.

Character essentialis.

H. statura *Mustelae Martis;* rostro elongato, naso plano; pilo parum rigido lanuginoso in uraeo caudaeque basi parum elongato, in media cauda longissimo; planta parum denudata elongata; colore pilis variegatis cinereo, in medio dorso nigricante, naso pallide cinereo, pedibus, postremis etiam, ultra carpum nigro-fuscis, cauda catulorum apice late nigra, adultorum summo apice et sensim tota fere alba.

Dimensio partium ad carnem in Dongala pellesque exutas cum ossibus Berolini facta:

	Maris adulti I. pellis.			Maris adulti II. pellis.			ad Carnes.			Catuli pellis.		HERP. *Ichneumonis* pellis.			
Longitudo totius usque ad basin caudae (in dorso ope fili) . . .	1′	7″	7‴	1′	5″	10‴	-′	-″	-‴	10″	8‴	1′	6″	5‴	paris.
—— ab apice rostri ad finem pilorum caudae . . .	-	-	-	-	-	-	3	-	-	-	-	-	-	-	
capitis ab apice nasi, ope bacilli, ...	-	3	10	-	3	9	-	4	-	2	10	-	3	6	
trunci a scapularum initio anteriore	-	-	-	-	-	-	1	-	-	-	-	-	-	-	
colli	-	-	-	-	-	-	-	3	-	-	-	-	-	-	
stirpis caudae	1	-	3	1	1	4	-	-	-	5	-	1	3	5	

	Maris adulti I. pellis.			Maris adulti II. pellis.			ad Carnes.			Catuli pellis.		Herp. *Ichneumonis* pellis.			
Longitudo pilorum apicis caudae	-′	3″	3‴	-′	2″	9‴	-′	-″	-‴	1″	10‴	-′	2″	8‴	paris.
caudae cum pilo	-	-	-	-	-	-	1	5	-	-	-	-	-	-	
auris a basi superiore	-	-	6	-	-	-	-	-	$8\frac{1}{2}$	-	4	-	-	$3\frac{1}{2}$	
oculi	-	-	$5\frac{1}{2}$	-	-	$5\frac{1}{2}$	-	-	-	-	$4\frac{1}{4}$	-	-	4	
narium aperturae curvae recta	-	-	4	-	-	4	-	-	-	-	$2\frac{3}{4}$	-	-	$4\frac{1}{4}$	
rictus oris ab apice nasi	-	1	6	-	1	6	-	1	3	1	1	-	1	$4\frac{1}{2}$	
pedum anteriorum a cubito ad apicem unguium	-	5	5	-	5	7	-	5	11	3	8	-	4	9	
palmae nudae	-	2	-	-	2	-	-	2	7	1	7	-	2	-	
pedum posteriorum a genu	-	8	-	-	7	10	-	8	-	5	4	-	6	6	
plantae totius	-	3	10	-	3	10	-	4	2	3	-	-	3	6	
—— partis nudae	-	2	-	-	1	5	-	-	-	-	-	-	3	-	
unguis maximi anterioris	-	-	6	-	-	6	-	-	-	-	$3\frac{1}{2}$	-	-	$5\frac{1}{2}$	
—— —— posterioris	-	-	6	-	-	$5\frac{1}{2}$	-	-	-	-	$3\frac{1}{2}$	-	-	5	
vibrissae oris maximae	-	1	-	-	1	3	-	-	-	1	2	-	-	6	
setae gularis maximae	-	1	2	-	1	3	-	-	-	1	1	-	-	8	
—— orbitalis maximae	-	-	10	-	1	2	-	-	-	1	1	-	-	7	
—— temporum maximae	-	1	3	-	1	5	-	-	-	1	-	0	0	0	
—— genarum maximae	-	1	-	-	1	3	-	-	-	1	-	-	-	6	
Distantia mutua aurium basi supera	-	1	1	-	1	2	-	1	5	-	$10\frac{1}{2}$	-	1	3	
—— oculorum antica	-	1	-	-	1	-	-	-	$10\frac{1}{2}$	-	$8\frac{1}{4}$	-	-	$8\frac{1}{2}$	
—— —— postica	-	1	6	-	1	5	-	1	6	1	$\frac{1}{2}$	-	1	2	
oculorum ab apice nasi	-	1	7	-	1	$5\frac{1}{2}$	-	1	6	1	-	-	1	2	
—— aurium angulo superiori	-	-	-	-	-	-	-	1	3	-	-	-	-	-	
—— oris angulo	-	-	-	-	-	-	-	-	11	-	-	-	-	-	
baseos auris ab apice nasi	-	2	$9\frac{1}{2}$	-	2	11	-	-	-	2	$\frac{1}{2}$	-	2	8	
Latitudo apicis nasi	-	-	5	-	-	5	-	-	6	-	$3\frac{1}{4}$	-	-	4	
aurium baseos	-	1	3	-	1	2	-	1	$8\frac{1}{2}$	1	3	-	1	1	
septi narium	-	-	-	-	-	-	-	-	$3\frac{1}{2}$	-	-	-	-	-	
caudae naturaliter expansae pili	-	2	6	-	3	-	-	-	-	1	9	-	2	6	
—— pilis appressis basi	-	-	-	-	-	-	-	1	3	-	-	-	-	-	
plantae	-	-	-	-	-	-	-	-	11	-	-	-	-	-	
palmae	-	-	-	-	-	-	-	-	11	-	-	-	-	-	
occipitis	-	-	-	-	-	-	-	2	4	-	-	-	-	-	
capitis ad medios oculos	-	-	-	-	-	-	-	1	10	-	-	-	-	-	
Ambitus capitis maximus	-	6	4	-	6	-	-	-	-	5	-	-	5	10	
Altitudo anterior	-	-	-	-	-	-	-	10	6	-	-	-	-	-	
posterior	-	-	-	-	-	-	-	11	6	-	-	-	-	-	
Mandibula a maxilla superatur	-	-	-	-	-	-	-	-	5	-	-	-	-	-	

Descriptio Maris adulti:

Color cinereus in dorso nigricans, pedibus nigro-fuscis, caudae apice longius nigro, sensim in album mutando. Corporis longitudo sine cauda sesquipedalis, cum cauda fere tripedalis. Habitus Mustelae Martis. Caudae stirps corpore multum brevior, nec truncum sine capite aequans. Capitis rostrum elongatnm, auriculae rotundatae, valde dilatatae, pollicem dimidium aequantes et superantes, in vertice valde approximatae. Oculi Iris flavo-lateritia. Ossa nasi non convexa, verum plana. Rhinarium nigricans, naribus semilunatis. Pedes pentadactyli, pollice brevi distincto, unguiculo perfecto armato, longius tamen distante. Plantae elongatae, dimidia parte postica subtus pilosa. Ungues cornei, dorso nigricantes, nec rufi, semipollicares. Pilus capitis, brevissimus, duriusculus, appressus, corporis mollior lanuginosus, sparsis durioribus pilis inter mollium strata. Herpestis *Ichneumonis* pilus hoc longe durior est. Singuli longiores pili parumper compressi, basi attenuati ac undulati colore cinerei, apice longius nigri, rigidiores,

mediis maculis 3 ad 4, rarius 5 obsoletis. Lanugo crispatula fere unicolor, cinerea. Corporis pilus 1″ ad 2″ longus. Longissimi pili mediam caudam vestiunt iique 2″ 9‴ aequant. Uraei et caudae baseos pili, qui apud Ichneumonem longissimi sunt et caudam late conicam reddunt, apud hanc speciem longe breviores sunt gravemque differentiae notam largiuntur. Rostrum vibrissis setisque multis ciliatum est. Verae vibrissae seriebus fere quaternis in labio superiore utrinque dispositae sunt, quae postica convergunt. Praeterea setarum parvi fasciculi diversi quatuor adsunt, alius in temporibus, alius in gula, supra oculos tertius, quartus ad genas prope angulum oris. Nullibi setae pollice multo longiores sunt, omnesque nigro-fusci et parum conspicui sunt. Temporum setae Ichneumoni deesse visae sunt, reliquae adsunt, sed minores. Bursa analis unica, quae fundo suo anum ipsa includit. Odor non admodum fortis, nec valde molestus. Animal solicitatum mordax hominem aggreditur. Caudae pili erigi possunt eoque caudae formam Equiseti fere praebent. Linguae papillae laminis semicylindricis truncatis corneis duris $\frac{1}{3}$‴ longis armatae sunt. Reliqua anatomica alibi dabimus.

Feminae adultae:

Forma et colore a mare non differt, nec magnitudine. Rima genitalis sub bursa anali ab eaque non inclusa. Mammae abdominales 4. Pectorales et inguinales non vidimus.

Catuli:

Catulus, 10 pollices longo corpore, velleris colore non differt, nisi in cauda. Pili corporis apicibus nigris aliquam nigredinem leviorem adducunt. Cauda ab apice ultra medium et summo apice nigra. Aures corporis ratione latiores, adultis amplitudine aequales. Reliqua conveniunt. Caudae pili longissimi 2″ aequant.

Ad Embukohl Dongalae tria specimina venati sumus. Duodecim Mille passuum distantia a Nilo cuniculos struxerant et Coleopterorum fragmenta in excrementis eorum erant. Certo vero etiam reliquarum specierum victum non recusant. In desertis, praeter Coleoptera (Pimelias), mures agrestes (Meriones) et Pterocles vocatorum Perdicum, rarius forsan et Struthionum ova eis cibo esse possent. Utrum e tanta distantia ad Nilum usque, qui Crocodilis illic abundat, excurrat, diiudicare non potuimus. Cicurem hanc speciem nusquam, Ichneumonem saepe vidimus. In Aegypto habitare non videtur.

Differentiam inter HERPESTEM *leucurum* et *Ichneumonem* hanc colligam.

H. *leucurus.*	H. *Ichneumon.*
Rostrum longius;	Rostrum brevius;
Nasi basis plana, cinerea;	Nasi basis convexa, rufa;
Aures paullo altiores;	Aures breviores;
Plantae longiores, longius hirtae;	Plantae breviores, longius nudae;
Cauda brevior, basi angustior, media dilatata, apicis flocco nullo;	Cauda longior, basi maxime dilatata, apice floccosa;
Pilus mollior, lanugine copiosa;	Pilus rigidior, lanugine parca;
Dorsum nigricans; latera cineracea;	D. latcribus concolor; latera fuscescente cineracea;
Pedum posteriorum tibiae basi nigro-fuscae;	Pedum posteriorum tibiae unicolores.
Mammae 4.	Mammae 6?

De anatomicis differentiis alio loco.

In Herpeste *Ichneumone* Pulicis speciem observavimus et in intestino tenui *Echinorrhynchum*, in Ileo Taeniam reperimus. Apud Herpestem *leucurum* Epizoa non vidimus, sed *Echinorrhynchum* in tenuibus. De his alibi.

Alterum Herpestis *leucuri* nomen apud Berberos dongalanos *Afnunga* audivimus.

Corollaria.

Ichneumonem (Herpestem *Ichneumonem*) in planitie prope Benisuef (iuxta antiquam Heracleopolin) frequentem vidimus ibique duo specimina utriusque sexus in ipso cuniculi ostio uno ictu occidimus. In femina parum prominentes mammas 6 numeravi. An duae abolescunt?

Vox *Doren* et *Daren* Forskålii, quae ad Canem niloticum allegari solet, ab ipso auctore vero non *Vulpi*, sed *Meli* adscripta fuisse videtur, forsan Herpestis *Ichneumonis* nomen in Arabia est. Confer *Canem niloticum* nostrum. Praeterea in Arabia *Ichneumoni* nomen *Aeksch* dari audivimus, quae vox inter Forskålii nomina incerta est. Altera incerti sensus vox *Oekasch* eiusdem numerus pluralis est. — In nummo aliquo Heracleopolitano Hadriani iussu excuso, Hercules animalculum in dextra gerit, quod antiquitatum illarum studiosi pro Cerbero habuerunt. Icon a Tôchonio data Nr. 2. *Ichneumonem* non male refert, idemque animal in illa urbe colebatur. — Fabulam de Monitore (Varrano), Ichneumonis hoste, Geoffroyum in libro *Déscription de l'Egypte* repetere miror.

De *Soricinis, Mustelinis* et *Phocinis,* nec non de *Cetaceis* libycis prolusio.

Ex animalibus *Soricinis* seu *Falculatis insectivoris* olim dictis in itinere tres formae nobis oblatae sunt, quarum duae, *Erinaceo aurito* Pallasii affines, in deserto libyco prope Alexandriam et in dongalano non infrequentes sunt, tertia vero valde memorabilis, Athribitis aegyptiacis olim divino cultu celebrata novique generis characteribus instructa est. Hanc Soricis *crassicaudis* nomine in itinere descripsimus et Berolinum misimus, eandem vero, Sunci proprio generico nomine in proximo de Mammalibus fasciculo describam. Sunci, *Far sunki* فار سنكي Arabum, characteres, quibus a Sorice differt, hos brevibus propino:

Suncus *sacer* H. et E. (1). Synonyma: Sorex *crassicaudis* H. et E. mscr. Lichtenstein, Fischer.

Dentes Soricis, laniarii priores utrinque elongati, inferiores non lobati, accessorii pauci (supra 3, infra 2); Cauda Condyluri incrassata, nodosa, elongata, pubescens, longis pilis subverticillatis radiata, moschum graviter redolens. Labrum inferius brevissimum rotundatum. Habitat frequens in domibus oppidi Sues.

Erinaceorum etiam breves characteres adiungo (2).

---

(1) Sceleton admodum singulare. Vertebrae caudales 18, lumbales 5, costae 14. Dorsi vertebrae processibus spinosis singularibus instructae, in collo parvis, retrorsum ad nonam vertebram usque decrescentibus, quae processum stiliformem erectum valde elongatum gerit. Sequuntur processus spinosi retrorsum decumbentes ad 15tam et 16tam vertebram usque, quae oppositos directione processus parvos et in eristam conniventes gerunt, reliquis antrorsum decumbentibus. Caudae vertebrae processibus radiatis, verticillatis, basi senis versus apicem quaternis valde insignes. Scapula retrorsum calcarata. Dentes supra 14, infra 12; incisivi $\frac{0.0.}{0.0.}$, laniarii $\frac{1.1.}{1.1.}$, accessorii $\frac{3.3.}{2.2.}$, molares $\frac{3.3.}{3.3.}$. Plura eum anatome serius.

(2) *Erinaceus libycus* H. et E. Kunfus. *Europaeo* et *aurito* minor. Supra nigrofuscus, aculeis nigrofusco et flavo variis sub apice flavidis, subtus flavidus, postice albicans, antice rufescens, toto capite fusco, unguibus fuscis minoribus, auribus minoribus et angustioribus quam in *aurito*, naso parum prominulo, oculis tantum fere ab apice rostri, quantum mutuo distantibus, capite brevi, aculeis octolinearibus, cauda semipollicari. In deserto libyco prope Alexandriam habitat.

Erinaceus aethiopicus H. et E. *Libyco* minor. Supra flavo albus aculeis flavo et albo variis, subtus antice albus, postice fuscescens, unguibus minimis albidis, auribus longioribus et latioribus, quam apud *libycum*, naso parum prominulo, oculis longius ab apice rostri quam mutuo distantibus, capite longiore, aculeis longioribus, pollicem longitudine excedentibus, cauda quinquelineari. In desertis dongalanis habitat.

Ex animalibus *Mustelinis,* quam Familiam *Falculatorum gracilium* nomine Illiger instruxerat, 8 ad 9 diversas formas, *Herpestes* 3, *Viverras* 3 ad 4, *Mustelam* 1 et *Mephitidem* 1 observavimus. De *Herpestibus* supra scripsimus. In Habessinia *Viverram Zibetham* domesticam esse ab incolis audivimus eiusque *Zibethum* Berolinum attuli. In Dongala supra Nubiam aliam *Viverram* aliquoties occidimus, cui *V. dongalanae* nomen adscripsimus. *Viverrae Fossae* nomen huic forsan competit, sed auctorum huius nominis species novo examine eget. Albicans nostrum animal, nec cinereum, a medio dorso linea mediana atra et maculis nigris cinnamomeo velatis pictum, a *V. Genetta* cauda potissimum differt, eademque cauda a Buffonii *Fossae* icone, quam G. Cuvier ut exactissimam laudavit, longe recedit. Huius varietatem singularem brevius caudatam palmis nigricantibus in Habessinia occidimus. Tertiam cineream, nigro maculatam *Viverram* in Dongala pro vera *Genetta* habuimus eiusque sceleton attulimus. Quarta *Mustelinorum* forma *Mustelae vulgari* admodum affinis est. In itinere *Mustelae subpalmatae* nomine eam distinximus, digiti enim membrana latius coniuncti erant, statura minor. In domibus aegyptiacis Cahirae et Alexandriae murium vulgaris socius. *Aelurum* (αἴλουρον) non hanc, sed *Felem Bubastis* cum *F. maniculata* fuisse serius docebo.

Quinta denique forma *Mephitidis* s. *Zorillae* species est, quae proxime ad *Mustelam Zorillam* capensem accedit et quam, cum Libyae incola sit, *M. libycae* nomine vocamus. A *Zorilla* differt: statura minore, macula gutturali et oris margine albis, cauda supra tota alba, macula rufa prope apicem subtus. Nigra dorsi macula in prymna nulla aut parva. Os magis acutum. Ungues multo minores, anteriores $3\frac{1}{2}'''$, posteriores $1\frac{1}{2}'''$ longi. Cranii, quod adulti aetatem arguit, mensuras valde singulares in proximo fasciculo edam.

Ex animalibus *Phocinis* unicam formam parvam, *Calocephalo vitulino* similem, in Mari libyco prope Alexandriam interdum capi audivimus, non vidimus. Illic de *Ceto* non sermo fuit, sed *Delphini* speciem, in Nili ostiis non infrequentem, Damiattae saepe ludentem vidimus. In Mari rubro nulla *Phoca,* sed earum vicarii *Ceti. Halicorae* duas species memorabiles illic investigavimus, totidem *Delphinos* et *Balaenam.* Balaenae *Bitān* (*australis?*) maximae mandibulas tantum a Mari proiectas in Arabia vidimus. *Delphini* nondum descripti (1) longe rostratum caput attuli, alterius *Delphini* catulum ore obtuso, pinna unica, recens captum apud Arabes vidimus, frustra appetiimus (*D. malayanus?*). *Halicorae* septentrionalis caput integrum ex insula Barkan tuli idemque anno MDCCCXXIV Berolinum misimus. In zootomicorum nostrorum Decade prima delineatum, *Halic. Hemprichii* (2) nomine inscriptum, anno MDCCCXXVIII naturae scrutatorum Germaniae conventui Berolini proposui. Hoc animal Mosis תַּחַשׁ *Tachasch* esse videtur eiusque corium nunc etiam ad calceos adhibetur. Alterius speciei, quae in australi Mari rubro occurrit, dentes solum complures in insula Hauakel emtos attuli, eademque vix, uti videtur, cum indica *H. Dugong* convenit (3). Sed haec nunc hactenus.

---

(1) *Delphinus aduncus* H. et E. Expansus sexpedalis, Pinna dorsi 1? Capite 17-pollicari, Rostro depresso elongato, utrinque utrinquesecus 25-dentibus conicis validis armato, ad postremos dentes $2''\ 6\frac{1}{2}'''$ lato ad medios $1''\ 9'''$, mandibulae longioris apice $8\frac{1}{2}'''$ lato sursum adunco. In insula Belhosse, Hemprichianarum una, a mari proiectum, corruptum vidi.

(2) *H. Hemprichii* E. *Nake* ناقه dentibus incisivis conicis superioribus longioribus, basi parum excavatis.

(3) *H. Lottum* لطيم (*Dugong* III.?) dentibus incisivis conicis superioribus brevioribus, basi profundius excavatis durioribus.

Berolini Septembre MDCCCXXXII.

LEPUS.

Leporum formae in omnibus Africae et Asiae terris, quas peragravimus, frequentes a nobis repertae sunt. In Libya littorali ab Alexandria inde usque ad Gebel kbir (Catabathmum magnum) speciem illam frequentem vidimus, quam Francogalli cum Napoleone, Geoffroyo interprete, primi descripserunt. Eandemque formam in mediae et superioris Aegypti desertis, rarius in agris, saepe venati sumus, neque aliam in Aegypto speciem vidimus. Novam formam in Nubia et Dongala, eamque, copiosa licet fuit, nunquam cum aegyptiaca colore congruam vidimus; praeterea mensurae partium differentia nonnulla erat. Tertiam formam in montibus sinaiticis vidimus ad aegyptiacam prope accedentem, verum haec etiam notas aliquas constantes obtulit, quibus aegyptiaci lepores nunquam instructi erant. Quartam leporum formam in Syria prope Berytum occidimus, quae neque ad aegyptiacam, neque ad sinaiticam omnibus notulis quadrabat, ab aethiopica vero multo magis differebat. In Arabia meridionali etiam leporibus potiti sumus, qui, ad aegyptiacum prope accedentes, habebant quo distingui possent; sextos denique in Habessinia vidimus, novis characteribus ab omnibus reliquis parumper diversos. Omnes illae formae Leporis *timidi* statura longe superantur ab eoque forma et colore differunt. Miscere haec omnia opus levissimum est. Zoologi vero esse videtur differentias studiose exponere. Sciurorum et Leporum similiumque multorum late per globum terrae distributorum animalium historia naturalis sola zoographorum ea incuria hucusque tenebris obruta est, quod descriptione formarum uberiori et quae non verba, sed characteres pingat, supersederunt. Hinc equidem hanc materiam in scientiae usum his pagellis depositurus sum. Utrum veros specierum characteres eruerim, an aliis hoc felicius postea contingat, de eo non contendo, id vero urgeo, Leporum formas, per omnes terras late distributas, inter eas esse, quarum subtilissimum examen scientiae naturali plurimum lucri afferet.

LEPUS *aegyptius* Geoffroy.

Arabis *Aerneb* et *Erneb* ارنب plur. *Erānib* et *Erāni* ارانب ارانى. Vulgo *Lerneb* i. e. *el erneb* pronuntiant. Plures vulgo *Ernāb* dici audivimus.

Leporem *aegyptium* Geoffroyi in splendido libro *Description de l'Egypte* splendide sculptum dedit, uberiorem omniumque partium accuratiorem considerationem ad carnes animalis factam desideramus, hinc etiam a Leporis *capensi* specie diversum G. Cuvier, Desmarest et alii

eum non habuerunt et fuerunt viri docti, qui ipsius LEPORIS *timidi* europaei affinitatem non deesse censerent. Lichtenstein *Abhandl. über die Antilopen des nördl. Africa* pag. 238. Specialem differentiam equidem, qui naturam et viva animalia observavi ea de causa statuendam censeo, quoniam triginta fere aegyptiaci Leporis specimina a me manibus tractata unum eundemque typum retulerunt, a reliquis, quas aliis in terris venati sumus, modo tradendis characteribus diversum. Idem in Aethiopia expertus sum, ubi nusquam alias, nisi flavas aethiopicas formas, mox definiendas reperimus. Variarum terrarum constantes vero variae formae in zoologia non eo graviores videntur, quo maiores differentiae sunt, sed quo magis constantes sunt illae, eoque respectu vel minimas differentias maximi ponderis esse censendum erit.

De antiqua Leporis historia Conradus Gesner in Historia animalium locupletissimus ipsaque doctrina et copia obscurus est. Apud Aegyptios Lepus non inter animalia sacra fuit, sed eum Osiridis symbolum fuisse ex nominis eius characteribus nuper repertis constat, quibus semper in fine addita est LEPORIS icon. Apud Horapollinem Lepus inter signa hieroglyphica enumeratur, neque raro in monumentis aegyptiacis eius effigies reperitur. Idola etiam Leporem referentia figulina et metallica in monumentorum aegyptiacorum thesauris servari solent. Sedentem semper vidi auribusque longissimis insignem. Ipsius Zoologorum *aegyptii* LEPORIS longissimae auriculae vix eam longitudinem largiuntur. Archaeologis cavendum est, ne aegyptias illas icones pro CANIS *Megalotidis* Fennec dicti simulacris habeant. Cauda CANIS longa, Leporis perparva est, eumque characterem aegyptii pictores et sculptores nunquam neglexerunt. Cum nos sexenni tempore in Aegypto saepe iterata vice totiusque terrae naturam observaverimus, nec unquam aliam LEPORIS speciem invenerimus, id certum esse videtur, Aegyptiorum antiquissimorum icones ad hanc Leporis speciem referendas esse.

LEPUS *aegyptius*.

Character essentialis.

L. statura *timido* et *capensi* inferior; capite angustiore; vellere tenuiore; auriculis capite ultra quartam eius partem longioribus; caudae stirpe femore breviore; colore velleris rufescente fusco-cinereo, nigro undulato, taenia per oculos ducta, gula et abdomine albis, collo flavido, cervice media dilute cinnamomea, cauda alba media supra saturate nigra, auriculis fusco canis pone apicem macula late nigra, pone basin macula alba.

Dimensio partium ad carnes et pelles facta:

	Ad Carnes									Ad pelles									
	Feminae.			Maris adulti.			Maris iuv.			Foetus.			I. adulti.			II. iuvenilis.			III. iuvenilis.			
Longitudo totius usque ad basin caudae a latere, ope bacilli . . .	-′	-″	-‴	1′	1″	3‴	-′	10″	5‴	4″	-‴		1′	6″	6‴	1′	2″	4‴	1′	2″	2‴	paris.
a dorso, ope fili	-	-	-	1	3	5	1	1	-	-	-		-	-	-	-	-	-	-	-	-	
ab apice aurium extensorum usque ad ped. poster. extens. apicem	2	-	9	1	11	-	1	5	3	-	-		-	-	-	-	-	-	-	-	-	
capit. ab apice rostri ad finem aurium baseos posticum (occipitis)	-	3	3	-	3	1	-	2	6	1	4		-	4	-	-	3	1	-	2	11	

	Ad Carnes									Ad pelles									
	Feminae.			Maris adulti.			Maris iuv.			Foetus.		I. adulti.			II. iuvenilis.			III. iuvenilis.		
Longitudo colli ab occipite ad humerum																				
oblique	-′	-″	-‴	-′	2″	5‴	-′	1″	6‴	-″	-‴	-′	-″	-‴	-′	-″	-‴	-′	-″	-‴ paris.
ad scapulae marginem	-	1	7	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-
trunci ab humero ad caudam usque	-	10	8	-	9	1	-	7	8	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-
stirpis caudae	-	-	-	-	2	-	-	1	11	-	7	-	2	8	-	2	2	-	2	1
totius caudae	-	3	3	-	2	9	-	2	3	-	-	-	3	8	-	2	8	-	3	2
auris a basi superiore	-	-	-	-	4	5	-	3	5	1	-	-	4	10	-	4	5	-	3	10
fissurae auris	-	4	4	-	3	9	-	3	-	-	$10\frac{1}{2}$	-	4	1	-	3	9	-	3	3
oculi	-	-	8	-	-	$5\frac{1}{2}$	-	-	$4\frac{1}{2}$	-	-	-	-	5	-	-	5	-	-	5
narium aperturae	-	-	-	-	-	4	-	-	$3\frac{1}{2}$	-	-	-	-	3	-	-	3	-	-	$2\frac{1}{2}$
rictus oris ab apice rostri	-	-	-	-	-	$5\frac{1}{2}$	-	-	5	-	-	-	-	$5\frac{1}{2}$	-	-	5	-	-	$4\frac{1}{2}$
pedum anteriorum a cubito ad unguium apicem	-	5	-	-	5	-	-	4	-	1	$6\frac{1}{2}$	-	5	6	-	5	1	-	5	-
humeri	-	-	-	-	2	5	-	2	3	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-
palmae	-	-	-	-	1	7	-	1	6	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-
pedum posteriorum a genu ad unguium apicem	-	-	-	-	7	-	-	5	11	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-
femoris ad med. genu usque	-	-	-	-	3	3	-	2	9	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-
tibiae ad calcanei apicem	-	-	-	-	3	9	-	3	3	-	-	-	5	6	-	4	2	-	4	8
plantae	-	-	-	-	3	6	-	3	3	1	$1\frac{1}{2}$	-	4	2	-	3	$8\frac{1}{2}$	-	3	5
unguis maximi anterioris	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	4	-	-	$3\frac{1}{4}$	-	-	4
—— —— posterioris	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	$4\frac{1}{2}$	-	-	$3\frac{1}{2}$	-	-	$4\frac{1}{2}$
vibrissae oris maximae	-	3	5	-	3	-	-	2	9	-	-	-	3	2	-	3	1	-	3	5
setae maximae orbitarum	-	-	-	-	-	8	-	-	11	-	-	-	1	3	-	-	10	-	-	11
—— —— temporum	-	-	-	-	1	7	-	1	8	-	-	-	1	-	-	1	11	-	-	6
Distantia mutua aurium basi supera	-	-	-	-	-	8	-	-	7	-	-	-	-	8	-	-	7	-	-	7
—— oculorum antica	-	-	-	-	1	3	-	-	11	-	-	-	1	4	-	1	2	-	1	1
—— —— postica	-	-	-	-	1	4	-	1	$1\frac{1}{2}$	-	-	-	1	6	-	1	11 ?	-	1	4
oculorum ab apice rostri	-	1	6	-	1	7	-	1	$1\frac{1}{2}$	-	6	-	1	$8\frac{1}{2}$	-	1	$4\frac{1}{2}$	-	1	4
—— ab aurium basi antica	-	-	9	-	-	-	-	-	-	-	-	-	1	7	-	1	- ?	-	1	8
auris baseos ab apice rostri	-	-	-	-	2	9	-	2	2	1	4	-	3	6	-	2	8	-	-	-
unguis pollicis apicis ab apice pedis	-	-	-	-	1	-	-	-	11	-	-	-	1	2	-	1	1	-	1	$\frac{1}{2}$
Latitudo apicis nasi	-	-	-	-	-	6	-	-	$4\frac{1}{2}$	-	-	-	-	5	-	-	5	-	-	5
—— oris	-	-	-	-	-	8	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-
septi narium	-	-	-	-	-	$1\frac{1}{4}$	-	-	1	-	-	-	-	$1\frac{1}{4}$	-	-	1	-	-	1
aurium baseos	-	-	-	-	-	$9\frac{1}{2}$	-	-	8	-	-	-	-	10	-	-	8	-	-	7
—— maxima	-	1	9	-	2	2	-	1	10	-	2	-	2	2	-	2	1	-	1	9
dentium binorum super. media	-	-	-	-	-	2	-	-	$1\frac{3}{4}$	-	$\frac{3}{4}$	-	-	$2\frac{1}{2}$	-	-	$2\frac{1}{4}$	-	-	$2\frac{1}{4}$
—— —— infer. media	-	-	-	-	-	$2\frac{1}{2}$	-	-	2	-	1	-	-	$2\frac{3}{4}$	-	-	$2\frac{1}{2}$	-	-	$2\frac{1}{2}$
caudae cum pilo	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	2	-	-	1	6	-	1	8
capitis ante oculos	-	-	-	-	1	$4\frac{1}{2}$	-	-	-	-	-	-	1	6	-	1	6	-	1	3
—— maxima	-	1	8	-	1	6	-	1	2	-	-	-	1	7	-	1	7	-	-	-
Altitudo capitis maxima	-	-	-	-	1	8	-	1	4	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-
anterior ab interscapulio ad ped. extensor. apic. unguium	-	-	-	-	8	9	-	6	3	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-
posterior a prymna ad ungues	-	-	-	-	10	11	-	7	6	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-
Ambitus capitis maximus	-	-	-	-	5	6	-	4	6	-	-	-	5	11	-	5	6	-	-	-

Descriptio adulti I.

Vellus aestivum:

Longitudo sesquipedalis. Caput quartam corporis partem nondum aequat, duplo fere longius quam latum. Aures capitis longitudinem quarta tertiave eius parte superant, rarius differentia quarta parte paullo minor est, quintae partis differentiam nunquam observavi. Plantae

auribus tibiisque breviores. Tibiae longitudine fissuram auris aequant aut superant. Vibrissae maximae caput fere aequant. Pilus: Corporis pili 9 lineas longitudine vix attingunt, rari longiores sparsi. Omnis pilus basi tenuis et undulatus, seu flexuosus, apicem versus crassior, summo apice denuo gracilis. Lanuginis fibrae interdum aequabiles, flexuosae totae. Plantarum scopae pilo paullo duriores visae sunt. Caput vibrissis setisque rigidis valdeque elongatis ciliatum. Vibrissae in sex series subaequales dispositae; longissima in secunda serie ab infima exstat. Color: in dorso capreolaceus nigro variegatus, cervice e dilute cinnamomeo flava, maculis duabus albicantibus ad basin aurium. Taenia albicans a rostro per oculos ad aures serpit. Subtus omnia, praeter collum flavum, albent. Gula alba. Cauda candida, media superne e fuscescente saturate nigra est. Pedes flavi plantarum scopis interdum rutilantibus et linea prope ungues anteriores transversa alba. Aures extus in margine anteriore brevissime pubescentes cano-fuscae (cinerascente capreolaceae), pilis flavo et saturate-cinereo variegatis, simili reliquis modo. Intus et postice auriculae rariore pilo vestitae, nudiusculae sunt; Margo ciliatus pallidior. Apicis margo extus niger intus flavus, summo tantum margine nigro. Sub apicis margine externo macula nigra suborbicularis 9‴ fere lata exstat, eaque non cutis, sed pili colore fit. In singulis pilis color ita dispositus est, ut basi dilute cineracei, lanuginis colore sint, medii e fusco nigrescant, dein macula longa albicante flavida sub apice picti, summo vero apice nigri sint. Longiores velleris pili in hoc specimine nulli et pilorum apices nigri saepe detriti. Mystacis setae superiores nigrae, inferiores albae, mediae longissimaeque basi nigrae, apice albae. Ungues nigricant, apicibus corneis.

Vellus hibernum:

Color priori similis, sed in dilute cinnamomeum distinctius abiens. Pedes et cervix maxime rutilum colorem trahunt eodemque scopae in plantis pedum anteriorum sunt. In toto vellere pili longiores, basi cinerei, medii nigri, longo vero apice albo terminati dispersi sunt. Albi abdominis latera margine dilute rutilo flava. Ungues pallidiores. Reliqua eadem.

Catuli vernalis
(*varietatis vertice trilineato*):

Color flavicante capreolaceus in cervice pedibusque anterioribus rutilans. Propter pilorum apices nigros albosque detritos vellus parcius variegatum est. Plantarum palmarumque scopae brunneo flavae. Cauda candidior, nigredine supera media saturatiore. Maculae albae cervicis pone aures obsoletae. Inter aures et oculos tres lineae albae, una media frontali peculiari, duabus lateralibus ab oculorum taeniis albis vulgaribus formatis. Temporum setae albae, reliquae a prioribus non diversae.

Aliud eiusdem trilineatae varietatis specimen notis omnibus illi congruum, sed plantarum palmarumque scopis rufis erat. Novembre occisum est.

Ad tres priores formas pellium mensurae supra datae eodem ordine pertinent.

Huius speciei complures pelles et duo integra specimina cum carne, praeterea foetum maturum, spiritu vini servata, Berolinum misimus. Prima specimina Alexandriae in foro vidimus. In deserto libyco littorali permulta specimina venati sumus. Saepe plumbo valde dilacerata

mensurisque scribendis non idonea erant. Alia multa Arabum Beduinorum principes, qui nobiscum erant, Falconum ope venabantur. Horum etiam maior numerus a Falconibus male diruptus erat. Ad LEPORUM et *Otidum Hubararum* venationem Falconibus masculis, minoribus, utebantur, feminas vero, maiores, ad *Dorcadis* venationem adhibebant. Ad Wadi Dachan Leporum venationi felicissime incubuimus ibique trilineatas illas formas Novembre occidimus. In superiori Aegypto aestate alia complura specimina accepimus, neque erat, quo differrent a libycis. Dormientes meridie saepe in cubiculis vix excavatis, planisque potius, sub *Salsolarum* et *Passerinarum* fruticulis observavimus, neque unquam cuniculorum vestigia vidimus. Beduini etiam Lepores cuniculos struere negabant.

Nec Epizoa, nec Entozoa in hac specie reperimus.

Corollaria.

In Aegyptiorum hieroglyphica lingua Leporis iconem litteram *S* signare Champollion auctor est. *Précis d'un Système hierogl.* pag. 36. Coptorum enim Leporis nomen *Saragousch* ab ea littera incipere. Secundum Kircherum LEPUS *aegyptius* tribus nominibus copticis appellatur *Ratphat*, seu cum Articulo *Piratphat*, *Saradjousch* et *Charasouts*.

Notandum est, mensuras nostras ad carnes et sceleton factas semper illis praeferendas esse, quas ad pelles fecimus, ex his vero approbationem et variationem potius, quam regulam legemque derivandas esse.

LEPUS *aethiopicus* H. et E.

E NUBIA ET DONGALA AETHIOPIAE.

Arabis Dongalanis et Berberis vocatur *Erneb* seu *Aerneb* ارنب.

Synonymon partiale:

LEPUS *isabellinus* Cretzschmar.

Trans Nili cataractam syenensem, Aegypti meridionalem terminum, anno MDCCCXXI et XXII. Lepores quidem vidimus, sed omnia specimina per totam Nubiam et Dongalam, ad provinciae Sennaarensis seu Meroës vicinia usque nobis oblata colore flavo et partium quibusdam mensurae rationibus a LEPORE *aegyptio*, Aegyptum et littoralem Libyam occupante, differebant. Multa specimina eodem anno MDCCCXXII, alia LEPORIS *capensis* varietatis, alia LEPORIS *aethiopici* nomine Berolinum misimus. Novem pellium et sceleti denuo comparandorum nunc copia fuit.

LEPUS *aethiopicus*.

Character essentialis.

L. statura L. *aegyptio* inferior aut aequalis, capite longiore auriculis 4ta ad 8vam partem suam superato, tibiis elongatis, plantis capite vix linea una et altera brevioribus; colore supra rutilante flavo, hieme nigro variegato, subtus praeter collum medium ubique albo, auricularum apicis margine nigro-fusco, macula nigra sub apice nulla.

Dimensio partium ad carnes sceleton et pelles facta:

	Feminae ad carnes.			Maris I. pellis.			Maris II. pellis.			Sceleti.		
Longitudo totius usque ad basin caudae a dorso ope fili	-	-	-	1	5	10	1	2	9	-	-	paris.
—— ab apice aurium extensorum usque ad pedum poster. extens. apicem	2	1	9	-	-	-	-	-	-	-	-	
capitis ab apice rostri ad aurium basin posticam (occiput)	-	3	2	-	3	9	-	3	6	3	-	
colli ab occipite ad scapulae marginem	-	1	7	-	-	-	-	-	-	-	-	
trunci ab humero ad caudam	-	11	2	-	-	-	-	-	-	-	-	
stirpis caudae	-	1	2	-	2	5	-	2	1	3	6	
totius caudae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
auris a basi superiore	-	5	3	-	4	2	-	3	10	-	-	
fissurae auris	-	-	-	-	3	8	-	3	5	-	-	
oculi	-	-	$7\frac{1}{2}$	-	-	5	-	-	$5\frac{1}{4}$	-	11	
narium aperturae	-	-	-	-	-	3	-	-	3	-	5	

	Feminae ad carnes.			Maris I. pellis.			Maris II. pellis.			Sceleti.		
Longitudo rictus oris ab apice rostri	-′	-″	-‴	-′	-″	7‴	-′	-″	6‴	-″	-‴	paris.
pedum anteriorum a cubito ad apicem unguium	-	5	4	-	5	3	-	4	11	5	4	
—— —— a scapula inde	-	9	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
palmae	-	-	-	-	1	9	-	-	-	1	10	
pedum posteriorum a femore inde	-	10	4	-	-	-	-	-	-	-	-	
femoris ad medium genu usque	-	-	-	-	-	-	-	-	-	3	6	
tibiae ad calcanei apicem	-	-	-	-	5	-	-	4	4	4	11	
plantae	-	-	-	-	3	6	-	3	9	3	6	
unguis maximi anterioris	-	-	-	-	-	$4\frac{1}{2}$	-	-	$3\frac{1}{2}$	-	4	
—— —— posterioris	-	-	-	-	-	5	-	-	4	-	6	
vibrissae oris maximae	-	3	6	-	3	7	-	3	1	-	-	
setae maximae orbitarum	-	-	-	-	1	5	-	1	5	-	-	
—— —— temporum	-	-	-	-	2	1	-	2	1	-	-	
Distantia mutua aurium basi supera	-	-	-	-	-	6	-	-	9	-	-	
—— aperturae meatus auditorii	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	11	
—— oculorum antica	-	-	-	-	1	5	-	1	1	-	$9\frac{1}{2}$	
—— —— postica	-	-	-	-	1	$6\frac{1}{2}$	-	1	$4\frac{1}{2}$	-	$11\frac{1}{2}$	
oculorum ab apice rostri	-	1	7	-	1	$8\frac{1}{2}$	-	1	6	1	3	
—— ab aurium basi antica	-	-	9	-	-	-	-	-	-	-	-	
auris baseos ab apice rostri	-	-	-	-	3	$2\frac{1}{2}$	-	2	11	-	-	
aperturae meatus auditorii ab apice rostri	-	-	-	-	-	-	-	-	-	2	7	
unguis pollicis ab apice pedis	-	-	-	-	1	$1\frac{1}{2}$	-	-	$11\frac{1}{2}$	-	-	
Latitudo apicis nasi	-	-	-	-	-	5	-	-	$4\frac{1}{2}$	-	-	
septi narium	-	-	-	-	-	$1\frac{1}{2}$	-	-	1	-	-	
aurium baseos	-	-	-	-	-	$9\frac{1}{2}$	-	-	8	-	-	
—— maxima	-	2	2	-	2	1	-	1	10	-	-	
dentium binorum superiorum basalis	-	-	-	-	-	$2\frac{1}{4}$	-	-	$2\frac{1}{4}$	-	$3\frac{1}{2}$	
—— —— inferiorum	-	-	-	-	-	$2\frac{1}{2}$	-	-	$2\frac{1}{2}$	-	3	
caudae cum pilo	-	-	-	-	1	9	-	1	9	-	-	
capitis ante oculos	-	1	2	-	1	5	-	1	5	1	$3\frac{1}{2}$	
—— maxima	-	1	7	-	1	10	-	1	10	-	-	
occipitis ad basin aurium	-	1	3	-	-	-	-	-	-	1	2	
Altitudo capitis maxima	-	-	-	-	-	-	-	-	-	3	-	
Ambitus capitis maximus	-	-	-	-	6	3	-	5	10	5	6	

Comparatio aurium plantarum et capitis 7 aliorum speciminum.

	Longitudo Capitis:	Auris:	Plantae:
1.	3″ 10‴	4″ 9‴	4″ -‴ paris.
2.	3 10	5 -	3 9
3.	3 $9\frac{1}{2}$	4 10	3 $8\frac{1}{2}$
4.	3 9	4 6	3 9
5.	3 7	4 10	3 7
6.	3 7	4 9	3 9
7.	3 5	4 9	3 $7\frac{1}{2}$

Sextum specimen femineum fuit, reliqua mascula.

Descriptio Maris adulti I,

vellere aestivo:

Statura Leporis *aegyptii,* saepius inferior. Caput corporis quartam et dimidiam fere partem aequat, duplo fere longius quam latum, in sceleto plus duplo longius. Aures capitis longitudinem 4ta ad 8vam eius fere partem superant. Plantae auribus breviores, tibiis longe breviores, capitis longitudinem proxime aequant. Tibiae totam aurem longius superant. Vibrissae

longissimae caput fere aequant. Pilus: Corporis pili 9 lineas fere aequant, sparsis longioribus raris. Omnis pilus basi tenuior sicut in aegyptio. Lanugo aequabilis flexuosa. Plantarum et palmarum, scopae sicut in LEPORE *aegyptio,* densius et paullo rigidius pilosae. Caput vibrissis setisque rigidis longis ciliatum. Vibrissarum series 6. Longissima seta e secundis inferioribus. Color: Supra fuscescente flavus seu isabellinus, parumper rutilans, tanquam ex dilute cinnamomeo flavus, illi colori propior, quem LEPUS *aegyptius* cinerascens in sola cervice pedibusque gerit. Pilos propius intuenti apices detersi cernuntur. Aures fere omnino calvae, carneae, venosae, in facie anteriore pilis brevibus et rarioribus flavae. In LEPORE *aegyptio* cutis aurium fuscescit, pilus cinerascit. Apex aurium non, sicut in *aegyptio,* niger, sed summo tenuique margine solum e fusco nigricat, reliquo margine albo ciliato. Caput dorso concolor, taenia lata alba per oculos ad aures ducta. Ad basin mystacis macula flavicans albocincta. Mandibula cum gula alba. Macula frontalis alba, sicut in LEPORE *aegyptio trilineato,* verum haec macula in aliis speciminibus saepius deest et varietatem indicat. In cervice flava pallidiore maculae duae albae ad aurium basin exstant. Pedes flavi, limbo digitorum anteriorum albicante, scopis plantarum palmarumque saturatius rufescentibus. Caudae superior pagina fusca, limbo flavo, stria media tenui obscuriore, nec nigra. Subtus color candidus, excepto collo medio et pectore flaventibus. Pili singuli dorsuales basi cum lanugine tota albicant, medii flavent, supra flavum nigri, iterum flavent et summo apice nigri sunt. Iidem pili basi tenues et flexuosi apicem versus tumescunt et stricti sunt. Mystacis superiores setae nigrae, inferiores et longiores apice late albae, basi nigrae. Temporum et orbitarum setae totae nigrae. Haec aestiva atque detrita forma LEPOREM *isabelliuum* francofurtanum largitur, ad quem integrum et hibernum cinereo variegatum vellus non directo quadrat.

Adulti minoris (adolescentis) II,

vellere hiberno:

Praeter mensuras breviores supra scriptas et praeter colorem, priori simillimus. Dorsum, propter pilorum apices non detritos, sed bene conservatos, nigro et cinereo variegatum est, quo propius ad LEPOREM *aegyptium* accedit. Universus tamen color magis flavo-rutilat. Pedum scopae fuscae nec rufae. Taenia oculorum alba paullo magis flavicans, media frontis macula nulla. Capitis setae eodem colore quo apud priorem et reliqua cum eodem congrua. Pili longiores, qui apud LEPOREM *aegyptium* hibernum albi reperiuntur, huic nigri sunt.

Feminae:

In hac specie sicut in priori Femina a mare non differt, nisi sexus organis. Mammas sex reperi, duas pectorales, quatuor abdominales, distantia duorum pollicum positas. Aliquod specimen offendi 5 mammis instructum, abdominalium una carens. Tres istae abdominales mammae ita collocatae erant, ut duabus dextris una sinistra opposita esset, eaque inter illas media cerneretur.

Inter decem specimina duo frontis maculam mediam albam obtulerunt, plurima scopis, i. e. soleis, rufis erant.

Primis in Nubia visis speciminibus potiti non sumus. Maio demum prope Chandeck Dongalae unicum hiberno vellere occidimus, plurima vero in desertis prope Embukohl Dongalae Iunio, Iulio et Augusto aestiva venati sumus. In fruticulorum umbra cubicula parum impressa habebant; cuniculos non struunt. Meridie dormire solent. Dongalani canibus etiam eos venabantur et decipulis capiebant.

Inter animalium pelles anno MDCCCXXIV Museo francofurtano ex Nubia missas Leporem aliquem Cretzschmar serius *isabellini* nomine enumeravit et cum brevi descriptione pictum dedit. Illud nomen ad nostrae speciei vellus aestivum spectat, etiamsi Ianuario et Februario occisa specimina dicat. Aures longiores esse quam apud aegyptiacum, ex nostris mensuris non redit, nec aures vere nudae sunt, nec aurium apex, corporis colore, sed nigro fusco limbatus est. Longitudo denique nec LEPORI *aethiopico* 1′ 4″, nec *aegyptio* 1′ 7″ tribui potest, cum minores et maiores in utraque specie inveniantur. Quae Cretzschmar de LEPORE *aegyptio* refert ad LEPOREM *habessinicum* referenda videntur, quem conferas.

Praeter *Ixodem* in auriculis habitantem nulla Epizoa, nec Entozoon ullum observavimus.

Anatomica et quae de sceleto memoratu digna sunt alibi proponam, non inutile vero iudico hoc loco hos addere numeros: Vertebrae thoracicae 12, lumborum 7, sacrae 5, caudae 15, quarum 7 (Coccygis) alatae; Sterni partes 6.

In icone nostra Tabulae XIII. quae LEPOREM *aethiopicum* ad dimidiam verae magnitudinis partem redactum offert, prior hibernum et integrum, hinc maculatum, posterior detritum et aestivum hinc unicolor, aut parum variegatum vellus gerit. Caudae nigredo media paullo nimis saturata picta est.

Corollarium.

De nomine id animadvertendum est. Utrum huic Lepori nomen *aethiopici* an *isabellini* in systemate tribuendum sit, de eo controversia esse possit apud nonnullos zoologos. Primam observationem, primam descriptionem perfectioremque, primum publicum usum in Museo regio berolinensi inde ab anno MDCCCXXII largiti sumus. Icon nostra et nomen ab anno MDCCCXXVIII inde expressa et picta sunt, antequam alterum nomen innotuit. De ipso *isabellini* nomine, detrito magis, quam perfecto animali apto, supra scripsi. Caeterum non urgeo nostrum nomen, quod hic non mutavi, quia sub icone antea dudum expressum erat, nec mutari potuit.

LEPUS *habessinicus* H. et E.

EX HABESSINIAE LITTORE ORIENTALI PROPE ARKIKO.

Habessinis vocari audivimus *Muntilleh* et *Atro*. Ludolf nomen *Mantalē* ፍንጣል: scripsit. Salt nomen *Muntilé* tradidit.

Habessinici Leporis mentionem pridem Ludolf fecit idemque in Historia Aethiopiae et in Lexicis duo Leporis totidemque *Cuniculi* nomina enumeravit. Leporis nomina indigenarum amharica *Tzandjal* ፀንጣል: seu *Tzentjale* ጸንጣል: et tigrense *Mantale*, quod supra scripsimus, competere statuit; vocem tigrensem *Gihe* ጊሔ: et amharicam *Eschekoko* ኧሽኮኮ: ad *Cuniculum* potius retulisse videtur.

Animal quod Habessini *Aschkoko* vocent Bruce delineatum dedit eoque, non *Cuniculum* illud esse, sed Hyracem, constitit.

Salt unicam Habessiniae Leporis speciem memorat, quam *Muntilé* tigrensi lingua vocari tradidit (*a smal grew species of hare*). Nomina *Gihe* et *Aschkoko Caviae* dari perperam retulit.

Anno MDCCCXXV verno tempore cum Hemprichio Habessiniae littoralis naturam perscrutatus sum, Leporem illum cum Hyrace aliisque animalibus venati sumus et in Diariis in ipso loco descripsimus. Ultimae hae ab Hemprichio solertissimo, ad augendam humanam scientiam semper prompto, ab omni gloriolae studio semper remoto, scriptae litterae fuerunt, quibus hanc animalium formam definire studuit. Novo pellis examine auxi illas et ita perpolivi, uti in amici mente fuit et scientiae utiles futuras spero. Materiam nostram ineunte anno MDCCCXXVI Berolinum attuli. Iconem anno MDCCCXXVIII in lapidem pingi curavi. — De *Cuniculi* ab hoc Lepore diversi habessinica aliqua specie notitiam non accepimus.

Anno MDCCCXXVII ex Habessinia Leporis alicuius 12 pelles Francofurtum missae eaeque in libro *Atlas zu Rüppells Reise* anno MDCCCXXVI (!) a Cretzschmaro indicatae sunt. Zoographus francofurtanus illas pelles pro Lepore *aegyptio* habuit et Leporis *isabellini* eius cum *aegyptio* comparatio maxime in *habessinico* Lepore nititur. Hinc Lepori *aegyptio* adulto staturam iusto maiorem et aures iusto minores tribuisse videtur.

LEPUS *habessinicus*.

Character essentialis.

L. adultus pede uno et dimidio paullo longior, auribus capiti subaequalibus angustisque, fissura aurium capite breviore, plantis aure paullo longioribus, naso adulti convexiore; colore supra cineraceo, subtilius nigro variegato, nec maculato, subtus albo, pilis dorsi longioribus apice nigris nec albis, macula nigra sub apice aurium externa, alba pone basin.

Dimensio partium ad carnes et pellem facta:

	Maris adulti: ad carnes.			ad pellem.			
Longitudo totius usque ad basin caudae a latere ope bacilli . .	1′	5″	-‴	-′	-″	-‴	paris.
—— —— — —— —— a dorso ope fili	-	-	-	1	6	7	
capitis ab apice rostri ad occiput	-	3	10	-	3	8	
trunci ab humero ad caudam	-	11	9	-	-	-	
stirpis caudae	-	-	-	-	2	6	
totius caudae	-	3	-	-	3	6	
auris a basi superiore	-	4	1 (?)	-	3	10	
fissurae auris	-	-	-	-	3	6	
oculi	-	-	-	-	-	5	
narium aperturae	-	-	-	-	-	3	
rictus oris ab apice rostri	-	-	-	-	-	5	
pedum anteriorum a cubito ad apicem unguium . .	-	-	-	-	5	6	
—— ——— a scapula	-	10	6	-	-	-	
palmae	-	-	-	-	1	8	
pedum posteriorum a femore	1	1	-	-	-	-	
tibiae ad calcanei apicem	-	-	-	-	4	11	
plantae	-	-	-	-	3	11	
unguis maximi anterioris	-	-	-	-	-	$3\frac{1}{2}$	
—— —— posterioris	-	-	-	-	-	4	
vibrissae oris maximae	-	-	-	-	2	6	
setae maximae orbitarum	-	-	-	-	1	2	
—— ——— temporum	-	-	-	-	1	7	
Distantia mutua aurium basi supera	-	-	-	-	-	6	
—— oculorum antica	-	-	-	-	1	$2\frac{1}{2}$	
—— ——— postica	-	-	-	-	1	6	
oculorum ab apice rostri	-	-	-	-	1	5	
auris baseos ab apice rostri	-	-	-	-	3	2	
unguis pollicis ab apice pedis	-	-	-	-	1	2	
Latitudo apicis nasi	-	-	-	-	-	$3\frac{1}{2}$	
septi narium	-	-	-	-	-	1	
aurium baseos	-	-	-	-	-	$8\frac{1}{2}$	
—— maxima	-	-	-	-	1	9	
dentium binorum superiorum media	-	-	-	-	-	$2\frac{1}{2}$	
——— ——— inferiorum media	-	-	-	-	-	$2\frac{3}{4}$	
caudae cum pilo	-	-	-	-	1	6	
capitis ante oculos	-	-	-	-	1	5	
—— maxima	-	-	-	-	1	10	
Ambitus capitis maximus	-	-	-	-	6	3	

Descriptio Maris adulti,

vellere vernali:

Longitudo habessinici Leporis eius quem mensus sum, filo in pelle per medium dorsum a naso ad caudae basin ducto, pedem unum et dimidium linea superabat, Hemprich eiusdem carnes recta linea ope bacilli metiens sesquipedali modulo pollicis longitudine breviores scripserat. Caput quintam corporis partem aequat, duplo longius quam latum, naso convexo. Aures capiti fere aequales. Plantae tetradactylae auribus paullo longiores, tibiis pollicis longitudine breviores, capite longiores. Tibiae aure multo longiores. Vibrissae breviores, longissima ultra pollicem breviore quam caput. Pilus basi cum lanugine cinereus, albicans, tenuis, medius nigricat, superne flavus, apice summo nigro. Longiores et rariores pili apice longo totoque nigri. Forma pili a prioribus non differt. Color dorsi fuscescente cineraceus, subtilissime nigro striolatus, nec

maculatus, in cervice flavicans, subtus albus pedibus iuguloque flavis, gula et mandibula albis. Macula obsoleta alba per oculos ducta, duae maculae albae pone aures. Cauda subtus alba, superne media atra. Aures fuscescente cinereae sub apice macula nigra 9 lineas longa pictae, margine saturatius nigro. Reliqua aurium cilia albicant. In vivo animali aures extus ob colorem carneum calvae apparent et caeruleo venosae sunt. Temporum et orbitarum setae totae atrae, Mystacis basi nigrae, apice albae. Digitorum anteriorum margo prope ungues albicat. Ungues dilute cornei. Soleae pedum fuscae (nec rufae). Frontis macula alba nulla.

Unicum specimen masculum Hemprich prope Arkiko ineunte Maio venatus est. Ni Francofurtani specimina aegyptiaca miscuerunt, illic extricari poterit, utrum hieme maculato vellere sit, id quod fere e Cretzschmari verbis redit. *Aegyptium* Leporem una cum hoc in eadem Habessiniae parte habitare atque in Nubia *aethiopicum* interiectum esse, verisimile non est. Nasum *habessinici* Leporis incurvum, quo ad *timidum* propius accedit, inter characteres graves habuerim, quo ab *aegyptio* recedat. Apud ipsos valde iuveniles Lepores *timidos,* ut apud vetustissimos, nasum curvum vidi in eoque rectiore *Cuniculi* characterem statuerim. Lepores *habessinicos* cuniculos struere non experti sumus, non audivimus.

Nonnulla iconum nostrarum specimina aurium maculam apicis nigram nimis obsoletam gerunt. — Nec Epizoa, nec Entozoa observavimus.

Corollaria.

Apud Hyracem *habessinicum* vocis aethiopicae *Gihe* a Saltio memoratae anglicam pronuntiationem incertam esse monui. Nuper Ludolfii litteras huius vocis tigrenses in Historia Aethiopiae investigavi ex eisque *Gihe* recte pronuntiari comperi. Ludolf illo nomine *Cuniculum* indicari suspicatus est, verum Saltio teste voces *Gihe* et *Aschkoko* homonyma sunt et cum Bruce animalis *Aschkoko* dicti picturam dederit, eaque Hyracis sit, vocis *Gihe* vera significatio eruta est. Equidem apud Habessinos de nomine frustra interrogavi, sed in schedula erratica aliqua nuper ab amico Hemprichio iuxta Hyracis *habessinici* nomen voces *Gahhe* et *Kakomeh* scripta legi. *Gahhe* forsan ad *Gihe* referendum est. Bochart, Hierozoicon I. p. 1004, in Psalmo aethiopico 103 (Hebr. 104) vocem *Legiche leporibus* reddendum censuit, quia graeco τοῖς λαγωοῖς respondeat. Vox *Legihe* versu 18vo legitur et vocis *Gihe* Dativus casus est. Nominativus non ጊሕ sed ጋሕ scribi videtur. De *Cuniculi* nomine *Tabsun* conferatur Lepus *syriacus.*

Vox *Atro* s. *Addro,* quae hodie modo Antilopae *Hemprichii,* modo Lepori ab Habessinis datur ex antiquissimis Antiloparum nominibus esse videtur. *Addra* Berberorum Dongalanorum Antilopae alicui magnae nomen esse ad Antilopam *Damam* monui, ibique de Septuaginta interpretum sacrae Hebraeorum scripturae vocis Ἀδρὴ s. Ἀδρὸς affinitate scripsi.

LEPUS *arabicus* H. et E.

EX ARABIA DESERTA PROPE GUMFUDAM ET EX ARABIA FELICI PROPE LOHEIAM.

Arabiae incolis vocatur *Aerneb* ارنب.

Lepores in Habessiniae opposita, meridionali Arabia prope Gumfudam et Loheiam vagantes magnam quidem cum *aegyptio* et *habessinico* affinitatem offerunt, verum simili modo res apud omnes reliquas Leporum species se habet. Adsunt characteres quibus distingui possint ideoque distinguendi videntur, donec uberiores observationes differentiarum valorem aboleverunt.

LEPUS *arabicus*.

Character essentialis.

L. *aegyptio* maior, *timido* minor, gracilior, capite auribusque elongatis, illo 5ta sua parte auriculis superato, tibiis elongatis, plantis caput fere aequantibus, naso convexo, dentibus validis; vellere cinereo aut fulvescente nigro rufoque variegato, subtus albido, collo medio et cervice flaventibus, cauda alba, supra media fuscescente nigra, auriculis cinereis apice immaculatis, pone basin albo-maculatis.

Dimensio partium ad pelles, capitis pedumque ossibus servatis, bene farctas facta:

	Adulti pellis:			Iuvenis pellis:		
Longitudo totius usque ad basin caudae a dorso, ope fili	1′	8″	1‴	1′	2″	9‴ paris.
capitis ab apice rostri ad finem baseos aurium postic.	-	4	1	-	3	8
stirpis caudae	-	2	-	-	-	-
totius caudae	-	3	-	-	-	-
auris a basi superiore	-	4	11	-	4	8
fissurae auris	-	4	-	-	4	-
oculi	-	-	8	-	-	6
narium aperturae	-	-	4	-	-	4
rictus oris ab apice rostri	-	-	6	-	-	6
pedum anteriorum a cubito ad apicem unguium . .	-	5	8	-	5	1
palmae	-	1	9	-	1	8
tibiae ad calcanei apicem usque	-	5	-	-	4	7
plantae	-	4	-	-	3	7
unguis maximi anterioris	-	-	$3\frac{1}{2}$	-	-	4
—— —— posterioris	-	-	4	-	-	4
vibrissae oris maximae	-	2	11	-	3	7
setae maximae orbitarum	-	1	3	-	1	-
—— —— temporum	-	1	9	-	1	-
Distantia mutua aurium basi supera	-	-	11	-	-	7
—— oculorum antica	-	1	4	-	1	2
—— —— postica	-	1	7	-	1	$5\frac{1}{2}$
oculorum ab apice rostri	-	1	9	-	1	6

	Adulti pellis:			Iuvenis pellis:			
Distantia baseos auris ab apice rostri	-′	3″	8‴	-′	3″	1‴	paris.
unguis pollicis apicis ab apice pedis	-	1	2	-	1	-	
Latitudo apicis nasi	-	-	5	-	-	$4\frac{1}{2}$	
septi narium	-	-	1	-	-	1	
aurium baseos	-	-	$8\frac{1}{2}$	-	-	9	
—— maxima	-	2	$4\frac{1}{2}$	-	2	$1\frac{1}{2}$	
dentium binorum superiorum media	-	-	3	-	-	$2\frac{3}{4}$	
—— —— inferiorum media	-	-	$3\frac{1}{4}$	-	-	3	
caudae cum pilo	-	1	6	-	1	6	
capitis ad oculos	-	1	6	-	1	6	
—— maxima	-	1	8	-	1	$6\frac{1}{2}$	
Ambitus capitis maximus	-	6	4 ?	-	5	10 ?	

Descriptio adulti,

vellere hiemali, ad pellem:

Arabici Leporis adulti longitudo, filo a naso per dorsum ducto, *aegyptium* LEPOREM adultum superat, *timidum* non attingit. Caput quintam fere corporis partem refert, duplo et dimidio longius quam latum, naso convexo. Aures capite quinta eius parte longiores. Plantae tetradactylae auribus longe breviores; tibiae auribus unica linea longiores. Vibrissae capite multo breviores. Pilus brevis, semipollicaris, basi cinerascente albidus, medius fuscus, sub apice longius e flavente albidus, summo apice tenui nigro, cinereo, rufove. Rari nonnulli longiores pili toti nigri, basi cinerascente. Color universus dorsi cinereus albicante striolatus, cervice pallide flava. Linea alba per oculos ducta, duae maculae cinerascente albae pone basin aurium in cervice. Gula et abdomen alba, iugulo flavicante. Pedes fuscescente flavidi, ad digitorum apicem pallidiores. Soleae brunneae. Cauda subtus alba, supra media e fuscescente nigra. Aures immaculatae, antica facie cinereae, postica pallidiores, marginis inferioris ciliis albis, apicis margine extus nigro, intus flavicante, pilis sub apice nigricantibus tenuissimis, raris, maculam distinctam non formantibus. Temporum et orbitarum setae atrae, reliquae mystacis longiores setae apice albae. Ungues cornei. Frontis macula alba nulla.

Hoc specimen pilos aestivos amisisse, hibernos vero nondum perfecte restituisse videtur, id quod ex brevitate pilorum suspicor.

Iuvenis

ad pellem hiemalem:

Pilus paullo longior, magis flavens ac rutilans apicibusque longius nigris; hinc universus dorsi color flavus undatim nigro variegatus. Pictura LEPORI *aegyptio* affinior. Linea alba per oculos ducta magis obsoleta. Cervix colore ad cinnamomeum accedens, maculis pone aures albidis. Temporum et orbitarum setae non totae atrae, sed apice pallidiores, nec albae. Aurium maculae nigrae nullae. Frontis macula alba nulla. Nasum convexum in hoc specimine non inveni, cum vero cranium ex pelle exemtum non viderim et coniectura opus sit, ob reliquos characteres, (aures praecipue et alterum specimen) lubentius coniecerim, nasum vi depressum fractumque esse, quam *aegyptium* LEPOREM, cuius congrua plurima specimina vidi, auribus immaculatis, naso curvo et reliquis differentiis variare.

Dentes in utroque cranio valde dilatati sunt, sulco medio obsoleto et aures ab apice oris longius distant. Dentes incisivi $\frac{4}{2}$ sicut in omnibus.

Animalia recens occisa describere nos impeditos fuisse, notandum erat. De Epizois et Entozois apud eadem non quaesivimus.

Exeunte Februario et Martio mense occisa sunt. Lepores *arabicos* in cuniculis degere non audivimus.

Nota:

E pelle Leporis *habessinici* et *arabici* adulti, quorum mensuram et descriptionem supra dedi, peracta partium dimensione, cranium extractum est eademque nunc in Museo regio zootomico seorsim servantur. Reliquos eorum characteres alibi colligam et comparatos dabo.

LEPUS *sinaiticus* H. et E.

E CONVALLIBUS ARABIAE PETRAEAE PROPE MONTEM SINAI.

Arnebet אַרְנֶבֶת Mosis. Arabis sinaiticis hodie vocatur *Aerneb* ارنب.

In sinaiticis montibus Lepores vagari pridem observatum est et Lepores a Mose ab Hebraeorum mensa reiecti ad hanc speciem pertinent. Mosi *Cuniculos* i. e. LEPORES in cuniculis habitantes, plane ignotos fuisse eo constat, quoniam recentiori tempore a nemine in Aegypto et Arabia *Cuniculi* observati sunt. Quod animal in versione librorum Mosis a Luthero aliisque *Cuniculi* voce appellatur, Mosi *Saphan* scribitur et HYRACIS species est. De quo confer HYRACEM *syriacum* nostrum.

De antiqua Leporis historia, quatenus ad Scripturam sacram spectat, Bochart conferendus est, cuius doctrina apud LEPOREM *syriacum* (postea, nesciis Hebraeis, mosaici Leporis vicarium) utemur.

Prosper Alpinus in Aegypti historia naturali pag. 232 sinaiticis montibus copiosos Lepores tribuit. „Lepores quoque, ait, Arabes in aliquibus locis prope montes venantur, praesertim penes Synaim et Oreb montes. In planiciebus locisque arenosis raro haec animalia „visuntur inibique propter nimium calorem non vivunt." Ultima Alpini sententia a nobis reprobatur. Burckhardt etiam nuper de Leporibus in montibus sinaiticis habitantibus nuntium attulit, ipse eos observasse non videtur. Burckhardt's *Reisen in Syrien, Palaestina und der Gegend des Berges Sinai,* e. vers. Gesenii II. p. 863. 1824. *„Hasen und Wölfe findet man „(auf der Halbinsel des Sinai), doch nicht häufig."*

Sinaiticum Leporem nemodum fusius ita descripsit, ut zoologiae lucrum inde venerit. Has equidem in ipso loco illic anno MDCCCXXIII scriptas, nunc vero denuo cum speciminibus a nobis Berolinum missis comparatas auctasque observationes publico usui offerendas censui.

LEPUS *sinaiticus*.

Character essentialis.

L. adultus statura LEPORIS *aegyptii*, *timido* minor, capite auribusque elongatis, illo quartam et dimidiam corporis partem aequante, quinta parte auribus superato, plantis in adulto caput fere aequantibus, in iuvenili superantibus, naso plano; colore dorsi flavofusco, nigro variegato, cauda supra nigra, aurium macula distincta nigra apicali, pone aurium basin macula alba.

Dimensio partium ad carnes et pelles facta:

	ad carnes.	ad pelles adulti.	ad pelles iuvenilis.	
Longitudo totius ab apice rostri usque ad basin caudae ope fili . .	-′ -″ -‴	1′ 6″ 7‴	1′ 1″ 5‴	paris.
—— — —— —— —— — —— —— ope bacilli	1 4 7	- - -	- - -	
—— ab apice rostri usque ad pedum poster. finem	2 - -	- - -	- - -	
trunci (sine capite)	1 1 2	- - -	- - -	
capitis	- 3 5	- 4 2	- 3 2	
stirpis caudae	- - -	- 2 9	- 1 7	
totius caudae	- 3 -	- 3 3	- 2 -	
auris a basi superiore	- - -	- 4 11	- 3 8	
—— — —— inferiore	- 6 -	- - -	- - -	
fissurae auris	- 4 9	- 4 4	- 3 5	
oculi	- - -	- - $6\frac{1}{2}$	- - $4\frac{1}{2}$	
narium aperturae	- - -	- - 4	- - 3	
rictus oris ab apice rostri	- - -	- - 5	- - 5	
pedum anteriorum a cubito ad apicem unguium . .	- 5 9	- 5 8	- 4 7	
—— —— a scapula	- 8 -	- - -	- - -	
palmae	- - -	- 1 11	- 1 8	
pedum posteriorum a femore . . :	- 11 3	- - -	- - -	
—— —— a genu	- 8 2	- - -	- - -	
tibiae ad calcaneum usque	- - -	- 4 10	- 4 -	
plantae	- 4 9	- - -	- - -	
unguis maximi anterioris	- - -	- - 4	- - -	
—— —— posterioris	- - -	- - 4	- - -	
vibrissae oris maximae	- 3 6	- 3 10	- 2 3	
setae maximae orbitarum	- - -	- - 10	- - $11\frac{1}{2}$	
—— —— temporum	- - -	- 2 1	- 1 2	
Distantia mutua aurium basi supera	- - -	- - 11	- - 7	
—— oculorum antica	- - -	- 1 6	- 1 $1\frac{1}{2}$	
—— —— postica	- - -	- 1 8	- 1 $2\frac{1}{2}$	
oculorum ab apice rostri	- 1 8	- 1 $8\frac{1}{2}$	- 1 $2\frac{1}{2}$	
—— — aurium basi antica	- - 11	- - -	- - -	
baseos auris ab apice rostri	- - -	- 3 $8\frac{1}{2}$	- 2 10	
unguis pollicis apicis ab apice pedis	- - -	- 1 2	- 1 $\frac{1}{2}$	
apicis nasi a mandibulae margine	- - 4	- - -	- - -	
Latitudo apicis nasi	- - -	- - 5	- - 4	
septi narium	- - -	- - 1	- - 1	
aurium baseos	- - -	- - 10	- - 8	
—— maxima	- - -	- 2 $5\frac{1}{2}$	- 1 9	
dentium binorum superiorum media	- - -	- - $2\frac{1}{4}$	- - $2\frac{1}{4}$	
—— —— inferiorum media	- - -	- - $2\frac{1}{2}$	- - $2\frac{1}{2}$	
caudae cum pilo	- - -	- 2 3	- 1 6	
capitis ad oculos	- - -	- 2 1	- 1 2	
—— maxima	- - -	- 2 2	- 1 4	
Ambitus capitis maximus	- - -	- 6 9	- 5 2	

Descriptio adulti Maris:

Lepori *aegyptio* affinis. Longitudo ab ore ad caudae basin sesquipedalis. Caput quartam et dimidiam corporis partem aequat. Aures caput quinta eius parte superant et valde dilatatae sunt, latitudine dimidiam totam suam longitudinem aequantes. Nasus planus, nec incurvus. Pedes anteriores a cubito inde paullo longiores quam in *aegyptio.* Tibiae posteriorum pedum breviores. Plantae capite unius lineae differentia breviores, quae longiores illo apud *aegyptium* aequali aetate sunt. Pilus cum lanugine basi cinereus, medius flavus, dein fuscescens, apice niger. Longiores pili sparsi, apice albi, ut in *aegyptio.* Color: In dorso fuscus, *aegyptii* colore similis, superne

nigro variegatus, subtus albicat praeter iugulum. Taenia alba per oculos ducta, gula et aurium postica parte albis, cervice ad aurium basin maculis duabus albis notata, digitorum antico margine albo. Cauda supra media nigra margine et subtus alba. Solearum scopae flavae. Ungues cornei. Mystacis et capitis omnes setae basi nigrae, apice albae. Aurium cilia alba, lanugo cinerascens, macula sub apice nigra. Frontis macula alba nulla.

Ad specimen recens occisum in Arabia, aliarum specierum comparatione nondum facta haec notavimus: „Color rufescente cinereus, nigricante variegatus. Circulus oculorum, gula, imum pectus, abdomen, pedum anterior facies alba. Genae, cervix, iugulum, summum pectus, plantae palmaeque dilute rufescentia. Macula utrinque ante oculos alba. Pili plantae palmaeque longae, durae. Cauda alba, supra fascia nigra. Aures fuscescente cinereae albo marginatae, in summo apice postice nigrae."

Iuvenis:

Pallidior quam adultus, flavofuscus, albo variegatus. Pili basi cinerei, medii cum lanugine flavide fusci, dein pallide flavi, albicantes, apice fusci. Propter omnis nigredinis defectum, ab adulto et ab *aegyptio* LEPORE non parum differt. Aures postica parte albae, apice nigro, maculis duabus albis prope basin, in vertice. Scopae solearum flavofuscae; cauda media nigrofusca.

In montibus sinaiticis Lepores neque tam frequentes sunt, ut ex Alpini narratione redire posset, nec tam rari, ut ex Burkhardti verbis. Saepe Lepores vidimus, rarius occidimus. Ex vallibus enim mox in rupes herbosas scandunt ibique venatorem fatigant et facile absconduntur. Anatomen Maris a me factam alio loco dabo.

De eo, cur Hebraei veteres Leporis solius nomini terminationem femininam dederint nugas multas philologi et theologi veteres scripserunt. Causam si praeter casum ulla fuit, erroneam omnem fuisse in propatulo est.

Idem de Leporum ruminatione et vi aphrodisiaca valet, hinc Iudaeos Lepore vesci ex errore a Mose prohibitos fuisse constat.

Iconem in tabula XIV^ta^ dedimus. Collatis plantis *syriaci* LEPORIS differentia in oculos cadet.

LEPUS *syriacus* H. et E.

E SYRIAE MONTE LIBANO PROPE DIEBBĒL, IUXTA BERYTUM.

Arnebet ארנבת Hebraeorum post Mosen. Arabico nomine *Erneb* ارنب montis Libani incolis hodieque vocatur.

Russell in Historia naturali halepensi duas Leporis species enumerat, maiorem aliquem, quem *turcici* nomine indicat et alterum minorem, quem *vulgarem* seu Leporem *deserti* appellat. Praeterea vero de *Cuniculo* notitiam habuit. Nos in Syria prope Berytum, in Coelesyria et in monte Libano duo nomina Leporum audivimus, alterum *Erneb,* alterum *Tabsun.* Animal *Erneb* venatione occidimus eiusque descriptionem nunc daturus sum; sed animal *Tabsun,* quod in cuniculis habitare dicebant et Lepori simillimum esse tradebant, quod etiam ab Hyrace, ipsis illis iisdemque incolis *Vabber* vocato, distinguebant, non vidimus. Hinc in monte Libano *Cuniculi* species dari videtur, quae ab hoc Lepore diversa est. Russell *Cuniculi* nomen *Clurnuk* خرنق, quod de Leporis *pullo* apud Meniskium memoratur ipsumque *Cuniculum* ferum non observavit, sed apud incolas, europaeos praecipue, cibi causa *Cuniculos* (domesticos puto et aliunde allatos) nutriri narrat, II. p. 159.

Lepores Syriae propter Iudaeorum legem et vescendi iis prohibitionem memorabiles sunt. Vocem hebraicam *Arnebet* Leporem significare Bochart fusius doctissimeque explicavit idque eo facilius probatur, quo magis Arabum vox *Erneb,* quae mascula forma eiusdem nominis esse sane videtur, in eundem usum hodieque et a pristinis scriptoribus adhibetur. Vocem *Erneb* nos etiam apud Syros in ipsa terra toties audivimus, quoties, praesente lepore occiso, incolas interrogavimus. Rosenmüller in recentiore egregio libro *Biblische Thiergeschichte* (*Alterthumsk. Band* 4.) sacrae scripturae Leporem pro Lepore *timido* habet et de ruminandi eius facultate Gmelini compilatoris apud Linnéum et Michaelis ab aliquo Saltuario acceptis relationibus utitur. Ruminatio Leporum autem apud veros physiologos a Buffonio et ipso Linnéo inde ad hunc usque diem non probatur, eandemque non opus est, ut Saltuarii narrent, quibus de rebus venatoriis graeca fides, cum apud *Cuniculum* facillime, si locum haberet, probaretur. Equidem apud cuniculos, quos puer multos nutrivi, adolescens saepe observavi, nunc etiam aliquoties inspexi, tale quid nunquam vidi. Sola animalia mammifera bisulca vere ruminare Zoologi omnes censent, idemque apud litteratissimum Rudolphium etiam, quem genuinae observationes rarissime fugerunt, in Physiologiae volumine secundo, parte altera, pag. 129. anno MDCCCXXVIII legitur. Apud Halmaturum quidem Home (*Lectures on comp. Anat.* pag. 157.) ruminationis facultatem tunc locum habere efferre dicitur, quando sicco cibo repleatur, sed haec observatio novo testimonio egere videtur, cum forsan actio normalis non sit et homines etiam dentur tali ruminandi facultate morbosa praediti.

Nomen hebraicum *Arnebet* non speciale, sed generale nomen esse, eo constat, quod primi Iudaei antequam Aegyptum intrarunt, si qua, quod verisimile est, illa voce usi sunt, certo *syriacum* LEPOREM eo nomine appellarunt. Iidem Hebraei in Aegypto idem nomen certo *aegyptio* LEPORI dederunt, quod Moses *sinaitico* animali imposuit et quod post Mosen iterum cum Iudaeorum domicilio in Palaestinam et Syriam delatum est, ubi praeter *syriacum* LEPOREM alia species inventa non est. Sic etiam Germaniae Hebraei non Mosis Leporem, sed L. *timidum* Linnéi respuunt et Polonici LEP. *variabilem* a suis mensis excludunt. Hebraici, Copticorum et Habessinicorum nominum discrepantiam miram in vocibus suo loco allatis ii conferant, quibus huius rei ulterius studium cordi est.

LEPUS *syriacus*.

Character essentialis.

L. statura LEPORIS *aegyptii*, capite caudaque abbreviatis, illo quintam fere corporis partem, hac aurium fissuram aequante, auribus, ulnis plantisque elongatis, naso parum convexo, auribus dilatatis caput tertia eius parte superantibus, plantis capite in iuvenili parum, in adulto multum longioribus; colore dorsi flavo, fusco variegato, maculis albis pone aures postice candidiores apice nigromaculatas nullis; pilo rudiore.

Dimensio partium ad pelles facta:

	Maris adulti:			pulli:		
Longitudo totius usque ad basin caudae ope fili	1′	6″	7‴	-′	9″	11‴ paris.
capitis	-	3	9	-	2	7
stirpis caudae	-	2	1	-	-	-
totius caudae	-	3	5	-	-	-
auris a basi superiore	-	4	11	-	2	3
fissurae auris	-	4	2	-	2	-
oculi	-	-	$5\frac{1}{2}$	-	-	-
narium aperturae	-	-	$3\frac{1}{2}$	-	-	-
rictus oris	-	-	6	-	-	-
pedum anteriorum a cubito	-	6	2	-	-	-
palmae	-	2	3	-	-	-
tibiae ad calcanei apicem	-	5	3	-	-	-
plantae	-	5	-	-	2	$8\frac{1}{2}$
unguis maximi anterioris	-	-	$4\frac{1}{2}$	-	-	-
—— —— posterioris	-	-	5	-	-	-
vibrissae oris maximae	-	2	10	-	-	-
setae maximae orbitarum	-	1	2	-	-	-
—— —— temporum	-	2	10	-	-	-
Distantia mutua aurium basi supera	-	-	6	-	-	-
—— oculorum antica	-	1	$3\frac{1}{2}$	-	-	-
—— —— postica	-	1	$5\frac{1}{2}$	-	-	-
oculorum ab apice rostri	-	1	9	-	-	-
baseos auris ab apice rostri	-	3	7	-	-	-
apicis unguis pollicis ab apice pedis	-	1	4	-	-	-
Latitudo septi narium	-	-	1	-	-	-
aurium baseos	-	-	$6\frac{1}{2}$	-	-	-
—— maxima	-	2	4	-	-	-
dentium binorum superiorum basalis	-	-	$2\frac{1}{2}$	-	-	-
—— —— inferiorum basalis	-	-	$2\frac{3}{4}$	-	-	-
caudae cum pilo	-	2	3	-	-	-
capitis maxima	-	1	6	-	-	-
Ambitus capitis maximus	-	6	2	-	-	-

Descriptio Maris adulti,

aestivi:

Habitus Leporis *aegyptii,* Longitudo corporis cum capite sesquipedalis. Caput quintam fere corporis partem longitudine aequat, aures tertia fere parte capitis longitudinem excedunt. Plantae elongatae caput pollice et 3 lineis superant. Ulnae cum digitis caput paullo ultra tertiam partem superant. Cauda brevis stirpe sua aurium fissuram aequat. Nasi ossa parumper convexa ab *aegyptio* lepore recedunt, nec *timidum* attingunt. Aures mediae dilatatae, sicut in *sinaiticis* et *arabicis* leporibus. Pilus singularis rudior, quam in reliquis hic enumeratis formis. Longiores pili crebriores et rigiduli sunt. Plurimus dorsi pilus in ima basi cinereus, dein flavicante albus, qui color sursum nigrofusco late excipitur, supra hunc, turgente pilo, albicante flavus color emergit, qui nigro tenuique apice terminatur. Rari nonnulli pili toti nigri, basi cinerascente, alii nigri tenuiter flavo-annulati. Ad latera nonnullos longiores pilos ita coloratos vidi, ut basi cinerei essent, medii nigri, apice flavi. Color totius in dorso flavus. Cervix rutilat, maculis duabus albidis valde obsoletis. Abdomen gula caudaque alba, haec supra media atra. Linea alba per oculos serpit. Aures postica et inferiore facie totae albae, lanugine tenui, postica et superiore parte capreolaceae, apice nigrae, Nigredine apicali 1″ 3‴ longa. Aurium facies postica candidior, quam in Lepore *sinaitico,* multo candidior quam in reliquis his omnibus speciebus. Cilia auris albent. Solearum scopae validae laete ferrugineae. Mystaces et setae capitis basi nigrae, apice albae.

Pulli valde iuvenilis,

aestivi:

Color totius rutilante flavus pilorum apicibus nigricantibus flavisque. Pili basi dilute flavo-cinerascentes, sursum rufofusco, dein rutilante flavo, apice fusco colore sese excipientibus. Pilum dicere etiam posses flavo, fusco et albido varium. Taenia per oculos serpens pallide flava, nec alba. Frons macula alba insignis. Solearum scopae flavae. Mystacis capitisque reliquae setae albae, basi fuscae.

Duo solummodo specimina vidimus. Adultum *syriacum* Leporem mense Iulio prope Emscheht inter oppida Berytum et Tripolin Syriae, parvum non procul a Beryto occidimus. Incolis *Erneb* vocabantur. Interrogantibus nobis, cuniculos hunc non struere affirmabant, verum aliud esse animal in aliquibus propinquis locis ab *Erneb* (hoc Lepore) et a *Vabr* (Hyrace) diversum, quod *Tabsun* vocent et quod in cuniculis vitam degat, Lepori idem simillimum esse. Cum scribendi bene periti non adessent, de orthographo frustra illic quaesivimus. Aliorum locorum viri doctiores nomen nesciebant, hinc propriam orthographiam praetulimus. Illud vero nomen *Tabsun* non male convenit cum nomine *Taphza* טפזא seu טדזא Hebraeorum, quod Bochart prorsus ignotum esse dicit et quod a Chaldaeorum et Syrorum voce *tephaz* טפז *subsultare* derivandum esse suspicatur (Hierozoicon I. 1004.). Altera vox *Chagase* quam ibidem Bochart obscuram esse indicat, nos in Syria non audivimus. Utramque vocem interpretes Sacrae Scripturae ad vocem *Saphan* (Hyracis) explicandam adhibuerunt. Utrum animal, quod Russell halepensem Cuniculum dicit et quod fortassis cum domestico illic, europaeo, hispanico

olim dicto, Cuniculo confudit (nutriri enim et comedi narrat) ad Syriae animal *Tabsun* spectet, de eo posteri peregrinatores quaerant.

Desmarest in libro *Mammalogie* inscripto Lepori *timido* etiam Syriam patriam adscripsit, ideoque *syriacum* Leporem cum *timido* coniunxit. Idem Isidore Geoffroy St. Hilaire in libro *Dictionn. classique d'hist. nat.* repetiit.

Corollaria.

Apud Lepores africanos et arabicos velleris hiberna mutatio ad eam, quam nostri Lepores europaei subeunt aequali modo referri posse non videtur, illic res alio se habet modo. Lepores in Orientis terris habitantes unicam velleris mutationem quotannis subire videntur, neque illam certo fixoque tempore accidere probabile est. Hinc hibernas et aestivas vestes illas vocare parum naturae consentaneum est, iustius integrae seu ornatae ac detritae dicentur. Integrum, pilorum apicibus bene conservatis ac sparsim longiore pilo mixtum vellus apud Leporem *aegyptium* in deserto libyco littorali Novembre invenimus, apud *arabicum* in Arabia felici Martio, apud *aethiopicum* in Dongala Maio, apud *syriacum* prope Berytum Iulio observavimus. Detritum ac tenue vellus apud *habessinicum* Leporem iuxta Arkiko Maio, apud *arabicum* in Arabia felici Februario, apud *aethiopicum* Iunio, Iulio et Augusto in Dongala, apud *sinaiticum* ad montem Sinai Octobre observavimus. Hinc vero aliqua velleris mutatio per totum annum, alio in aliis speciminibus mense peracta redire visa est, eaque ita fere explicari posset, ut duplicem illarum terrarum hiemem in mentem revocemus, aestivum qui imbribus fit et vere hibernum, qui Solis obliquis radiis terraeque inclinatione perficitur. Hanc animalium naturae in illis terris perturbationem zoographis perpendendam esse innuerim.

De dentibus notandum est, me apud omnes species, apud iuvenes et adultos unam eandemque eorum rationem ac conniventem singularem directionem observasse. Formula numeris expressa cum Leporis *timidi* dentium formula ex asse congruit. Incisivi $\frac{4}{2}$ molares $\frac{6.\ 6.}{5.\ 5.}$.

Plantae omnibus tetradactylae, palmae pentadactylae. De cornutis aut hermaphroditis nunquam audivimus, nec inter 50 pluraque omnium illarum specierum specimina monstruosam formam vidimus, praeter unicam Leporis *aethiopici* feminam 5 mammis instructam. De Leporis lue venerea fabulosa in Orientis terris ne fabulam quidem experti sumus.

Leporis *timidi* pullos semper maculam frontis albam gerere, quae in adultioribus pereat, Pallas in Zoographia rossica auctor est. Nos adultos etiam aliarum specierum illa macula notatos vidimus *aegyptium* et *aethiopicum*. *Aegyptii* et *syriaci* pullos etiam fronte notatos vidimus. Interdum apud *timidi* pullos notam desideravimus. Varietatem indicare videtur.

Arabes Lepores comedere Russell in libro laudato narravit, nos saepissime vidimus, cum lubenter nobiscum coenarent. Utrum Copti eos comedant non investigavimus. Syros non abstinere Lepore illic audivimus. Berberi, qui externo corporis cultu aegyptia antiqua hominum simulacra referunt, leporum venationem canum et laqueorum ope exercent, carnes vero lubentissime edunt. Pellium usum nullibi invenimus.

Apud *aegyptium* Leporem in maculas cervicis albas, aliis distinctas, aliis nullas, parum ponderis posuimus, verum ne hoc omnino negligant observatores monuerim. Specimen, cuius

pellis mensuram et cuius descriptionem primo loco dedi, praeter maculas cervicis albas et praeter superiorem Aegyptum patriam, mensurae etiam aliquas differentias ab illis speciminibus, quae in littorali Libya occidimus gravius recedentes largitur. In littorali Libya nos Lepores cervicis maculis albis observasse in Diariis non adnotatum est; — sed hi recentiores scrupuli sunt.

Omnes pellium nostrae mensurae ad pelles cranio suo pedumque ossibus instructas factae sunt, hinc ossearum earum partium mensurae valorem prae caeteris eumque certum habent. Omnium vero formarum hic enumeratarum specimina, pelles et sceleta a nobis allata, in Museis Regiis servantur.

Leporum characteres difficiles definiendi sunt. Sunt qui causam difficultatis in eo inveniant, quoniam ex una eademque specie, secundum variarum terrarum leves differentias, a zoographis perexpeditis species numero nimis auctae sint. Neque vero hi ipsi in recto tramite ire videntur. Id quidem verisimile est, non raro auctorum species levissimo studio ad singulas male servatas mutilatasque pelles esse factas, illaque fide eoque studio carere, quo in scientia opus est; verum cavendum est, ne quis cum balneo puerulum reiiciat (1). Propter formarum, novis semper characteribus diversarum, ex omnibus terrae globi partibus congestarum copiam verisimilius esse videtur, Leporis diversas species habitu sibi valde propinquas, quam unicam speciem tam late distributam et variabilem esse; specierum vero characteris difficultatem inde oriri, quod diversarum saepe specierum formae in unam consociatae sint. Exemplum proximum Lepus *variabilis* largitur, quem recentiores post Linnéum demum a *timido* bene distinxerunt. Me non sine studio de amovenda hac difficultate cogitasse et in itineribus egisse, hae testentur paginae, quas, ni lucem omnem, basin et materiam futurae lucis alluturas esse spero.

Cuvier, postquam ecaudes Pallasii Lepores *Lagomyum* nomine generico avulserat, reliquos in longius auritos *veros* Lepores et brevius auritos *Cuniculos* disposuisse videtur *Règne a.* I. ed., II. pag. 218. Verum vero, cum aures iuvenili aetate aliam rationem habeant, quam adulta, Pallas etiam Leporis *variabilis* Russac dictam formam, pag. 148, aurium longitudine aberrare dicat (2), illum characterem pro utili ad sectionum distinctionem non habendum esse constat. Equidem de alio charactere ex plurimorum speciminum studiosa observatione emendo operam dedi, quem alii zoologi, speciminum unius speciei copia divites, ut examinent velim. Leporem *timidum* facie curva esse, *Cuniculum* facie recta esse nemodum observavit, si observavit, non ad species distinguendas adhibuit. Apud Leporem *timidum* pullos valde iuveniles ab eo charactere in ipso sceleto non aberrare vidi. Idem locum habet in Cuniculis. Aequalem

---

(1) Georgius Cuvier ipso recentiore tempore MDCCCXXIX in editione Regni animalis illustrati secunda *aegyptium* Leporem cum *capensi* coniungit, hinc necessario fit, ut speciei characteres difficillimi statuendi videantur. Divide et impera, exemplo ipse Cuvier sit, cum grano salis, studio et candore!

(2) Leporem Russac Petropoli non rarum vidi, sed vereor, ne Pallas duas formas miscuerit. Veros esse Lepores *variabiles*, qui hieme non albescant, vere Russac dicendos, alios qui solummodo plus minus albo-maculati reperiantur mihi persuasi, nec aurium longitudinem apud has formas variabilem vidi. Cum vero Petropolin e longinquis Rossici imperii terris gelati Lepores centuriatim afferantur, facile fieri posset, ut rariores aliae species inter vulgares passim inveniantur. Cum Pallas suo Russac etiam caudae areolam nigram tribuat, *caspicum* nostrum Leporem ab eo, modo cum Lepore *timido* modo cum *variabili* commutatum esse suspicor. De hac vero nova rossica specie in animadversionibus meis ad iter Rossicum eum Excellentissimo Alexandro ab Humboldt peractum plura dicam, diagnosin brevem hic addam. Attamen stabilita hac specie semper diversae aetatis diversa aurium ratio apud Lepores manet.

illius capitis rationis differentiam apud alias Leporum species in Africa et in Asia observavi eamque ex eorum sceletis stabilivi. Hinc equidem hanc propono LEPORUM a me visorum Synopsin, cui reliquae species facilius adiungentur:

LEPORES *cyrthorrhines* (1).

(narium osse incurvo, facie Leporis)

a. auribus densius pilosis:

LEPUS *timidus:*

maximus, rufofuscus, auribus capite longioribus apice nigris subacutis, pilo dorsi rudiore, caudae macula nigra;

Petropolin affertur, hinc verus Linnéi L. *timidus* videtur;

var. *α.* fronte albo maculata;

var. *β.* fronte immaculata;

L. *variabilis:*

maximus rufofuscus, hieme utplurimum albus, aut albo maculatus, cauda supra subtusque alba;

b. auribus parcius ac brevius pilosis:

L. *capensis:*

maior cinerascente fuscus, auribus capitis longitudine nigro maculatis hirtis, pilo molliore, largo;

L. *habessinicus:*

cinereus, obsolete nigro undulatus, auribus capitis fere longitudine nigro maculatis, nudiusculis, pilo molliore tenui, facie levius incurva;

L. *arabicus:*

cinereus auribus capite longioribus, mediis dilatatis, macula apicis nulla, plantis brevibus, pilo molliore tenui;

L. *syriacus:*

flavus, auribus postica facie albis apice nigro, mediis valde dilatatis apice rotundatis, pilo rudiore;

var. *α.* fronte albo maculata;

var. *β.* fronte immaculata.

LEPORES *orthorrhines.*

(narium osse recto, facie Cuniculi)

a. auribus densius pilosis:

LEPUS *Tolai:*

magnus albicante fuscus, cauda brevi supra nigra, aurium cinerearum summo tantum margine nigro;

L. *caspicus* n. sp.:

magnus flavicante cinereus, cauda cum pilo caput longius superante, supra nigra, aurium macula nigra;

L. *timidus* Pallasii, Astrachan;

L. *Cuniculus:*

minor cinerascente fuscus (ferus), auribus capite brevioribus, plantis capite longioribus, tibiis brevibus;

b. auribus parcius ac brevius pilosis (pilus omnibus mollis):

L. *aegyptius:*

minor gracilior e cinerascente flavofuscus, nigro undulatus, caudae et aurium macula nigra, auribus capite multum longioribus apice rotundatis;

forma 1. maior, cervice albo maculata (niloticus);

forma 2. minor, cervice immaculata (libycus);

var. *α.* fronte albo maculata;

var. *β.* fronte immaculata;

L. *aethiopicus:*

minor gracilior flavus, fusco undulatus, aurium summo margine fusco, macula nulla, caudae macula fusca;

var. *α.* fronte albo maculata;

var. *β.* fronte immaculata;

L. *sinaiticus:*

flavus, nigro variegatus, auribus subacutis mediis valde dilatatis, macula apicis nigra.

---

(1) In Tabulis nostris faciei Leporum curvaturae characteres nuperrime stabiliti interdum obsoleti et facies nonnullae paullo nimis curvatae sunt, quod monendum est, data vero hac descriptione non in errorem ducet. Antequam formae in Lapidem delineatae essent, crania pellibus eximere nolui. Quo demum facto has leges erui.

Berolini Octobre MDCCCXXXII.

CANIS *syriacus* H. et E.

EX MONTE LIBANO PROPE EMSCHEHT.

Incolis vocatur *Vauie* وادي. Animal obscurum Syriae, quod in Sacra Scriptura *Ii* אִי, plurali numero אִיִּים *Ijim* et apud Arabes antiquos *Ibn Aui* ابن اوي, apud alios vero *Abin auin, babuin* et *papio,* forsan etiam Θῶς et *Thois* vocatur, haec ipsa species esse videtur.

Apud Syros in monte Libano anno MDCCCXXIV quatuor Canum nomina audivimus *Kelb* كلب, *Taleb* ثعلب, *Vauie* واوي et *Gharehr* غرير. Voce *Kelb* pro CANE *familiari* utebantur, *Taleb* pro *Vulpe,* quem CANEM *niloticum* esse censuimus, reliqua duo nomina *Lupis* affinioribus animalibus dari ex incolarum descriptione suspicabamur. Vocem *Gharehr* illi animali competere arbitrati sumus, quod in Aegypti inferioris desertis nomine *Dīb* vulgare et notissimum est. CANIS *Vauie* specimen iuvenile et femineum prope *Emscheht* demum occidimus. Omnium maxime memorabilis haec forma, quae tenui suo continuoque nocturno ululatu omnibus qui montem Libanum adeunt, innotescit, propriae speciei hucusque nondum descriptae typum largitur, maleque Linné CANIS *Thoi* nomen surinamensi alicui animali imposuit.

CANIS *syriacus.*

Character essentialis uberior.

C. Vulpis statura, rostro obtuso, auriculis pedibusque brevibus; colore supra cano-fulvus capite pedibusque fulvis, subtus albus margine flavicante, oris margine gulaque candidis, auriculis extus fulvis intus albis, cauda parum pilosa fulva, nec albo terminata.

Dimensio partium ad pellem cum cranio pedum caudaeque ossibus facta:

Longitudo totius ab apice rostri ad basin caudae ope fili a dorso	2′	-″	2‴ paris.
capitis ab apice rostri	-	5	3
stirpis caudae	-	(8 ?)	-
auris a basi superiore	-	1	9
fissurae auris	-	1	11
oculi	-	-	8
narium aperturae lobatae	-	-	5
rictus oris a margine labii superioris	-	1	$8\frac{1}{2}$
pedum anteriorum a cubito ad apicem unguium	-	6	8
manus a carpo	-	1	9
tibiae	-	4	8
plantae	-	4	6
unguis maximi anterioris	-	-	$3\frac{1}{2}$
—— —— posterioris	-	-	$3\frac{1}{2}$
vibrissae oris maximae	-	-	9

Longitudo setae genarum maximae	-′	2″	-‴ paris.
—— gulae maximae	-	1	4
—— orbitarum maximae	-	1	9
Distantia mutua aurium basi supera	-	1	7
—— oculorum antica	-	1	1
—— —— postica	-	1	8
oculorum ab apice nasi	-	2	½
baseos auris ab apice rostri	-	4	3
verrucae palmae ab apice pedis	-	1	7
pollicis unguis ab apice pedis	-	1	3
Latitudo apicis nasi	-	-	7
septi narium	-	-	2
aurium baseos	-	1	-
—— maxima	-	1	6
caudae basalis	-	-	7
capitis maxima	-	2	4½
Altitudo anterior	-	8	9
posterior	-	9	8
capitis maxima	-	2	6
Ambitus capitis maximus inter oculos et aures	-	8	5
Nasus mandibulam superat	-	-	5

Descriptio Maris iuvenilis:

Statura *Vulpis, Lupo* inferior. Caput corporis quartam et dimidiam fere partem longitudine aequat, plantis octava sua parte longius est. Aures breves manuum eius longitudine. Pedes anteriores a cubito inde caput quarta eius fere parte superant. Pilus dorsi medii 1″ 4‴ fere longus nec multo longior in cauda. Color cano-fulvus dorsi taenia nigricante, pedibus capite auribusque extus rufis; subtus color et in pedum facie interna albidus. Fascia obsoleta flavicans in pectore antico. Oris margo latior auriumque interiores pili candida. Nasi nudus apex niger. Ungues nigricante cornei. Aurium subacutorum summus margo nigricat. Mystacis capitisque setae omnes nigrae. Dorsi singuli pili quadricolores: basi flavidi, dein nigri, tunc albi, summo apice nigri. Medii colores rufescente halone limitati sunt. Lanugo flava.

Unicum specimen prope Emscheht inter Berytum et Tripolin Syriae occidimus plurimorum ululatum, praecipue a monte Makmel, Cedros ferente, versus Tripolin descendentes, audivimus. Cum specimen occisum a venatore per aliquod horas portatum esset, antequam nobis traderetur, de Iridis colore (flavofusco?) et pupillae forma, quod saepe in calidis terris fit, incerti fuimus. Caeterum pupilla Canum characterem parum utilem offert ipsa morte saepe alienatum. — Auribus longe minoribus et rostro brevi obtuso, nec non artubus capiteque brevioribus haec Canis species a *Vulpe* valde differt similesque mensurae graves differentiae eam a reliquis Africae et Asiae borealis Canibus distinguunt. Capitis forma *Lupo* propinquior, hinc peregrinatorum crebrae narrationes de *Lupo aureo,* quae rarissime ad verum Lupum aureum pertinent, saepe ad hanc etiam speciem spectant. Adultum hunc aliquanto maiorem evadere nos incolae docuerunt, hominibus infestum nunquam, nonnulli familiarem tradiderunt. Vulpis eius mitior natura confirmabatur. Ululatus quos ipsi audivimus a pluribus speciminibus effeci videbantur iidemque non famis nec atrocitatis, sed proprii delectamenti notam habebat.

Corollaria.

In CANIS *syriaci* historiam multa cadunt, quae de CANE *aureo* seu *Lupo aureo* narrata sunt. Diversissimi enim Canes feri rufi, aut fulvi a peregrinatoribus et zoographis in Persia, Syria, Rossia australi, Mauritania et India obiter observati CANIS *aurei* nomine appellati sunt. Ipse Pallas cum Schrebero CANEM *aureum* tam late per Asiam, Europam et Africam distribuit, ut Gmelini et Güldenstädtii Canem caucasicum, Aristotelis *Thoa,* aegyptium Forskålii ferum canem et indicum *Vaui* de quo Niebuhr retulit in unam speciem coniungat. Praeterea post Güldenstädtium Pallas in Zoographia rossica et nuper Tilesius in Actis Acad. Leopold. VI. XI. praeter CANEM *aureum* nullam esse contendunt feram Canis speciem, a qua CANIS *familiaris* verisimilius derivetur. Maximum huius rei argumentum in coniectura ea nititur, primos homines in Caucaso eiusque viciniis habitasse, hinc corpora naturalia illic obvia domesticorum verisimiliores parentes esse. De haec vero sententia dubitare licet. Alterum argumentum e CANIS *aurei* persici ferique familiaritate et φιλανθρωπίᾳ, antiquitus celebrata et quam plerique peregrinatores ipseque Pallas experti sunt, sumitur. Iam vero eadem mitis indoles a Bellonio Syriae, a Busbekio Bithyniae alicui Cani fero tribuuntur eaque facile diversis speciebus communis esse potest illamque omnem de CANIS *familiaris* historia et ortu difficultatem certo non auferet. Iam vero omissa nunc illa de CANIS *familiaris* ortu quaestione, CANIS *syriaci* forma a persici CANIS *aurei* iconibus, a Güldenstädtio et Tilesio datis, tantum differt, ut, qui comparaverint illas, ad unam eandemque animalium speciem eas collaturi non sint. Kämpferi et Gmelini primae icones pessimae quidem sunt, verum ex iisdem et e Gmelini descriptione (Iter. III. p. 80. 1774.) luculenter patet, Canem ab eo ad Sallian non procul a Baku observatum ore Vulpis acuto fuisse. Güldenstädtii icon Vulpis acutum ac tenue rostrum multo distinctius reddit et Tilesii recentissima icon eum characterem auget. Schrebero Pallas iconem dedit. Forma ad vivum animal in Belgia delineata est, color ad pelles Petropoli additus. Utrum forma colorque in unum idemque animal vere competant, incertum videri possit, nisi Pallas auctor fuisset. Sed errare humanum est. Hinc composita illa icon caute adhibeatur. Unde ille Belgicus *Schakal,* qui formam isti *aureo* dedit, venerit non liquet. A *syriaco* Schreberi fulvus canis cauda densius pilosa et ore acutiore semper differet, a reliquis supra commemoratis abdomine albo etiam distinguitur. Praeterea grata mente accipienda est mensurarum copia, quam Güldenstädt de Persiae cane largitus est et quae aures, pedes et rostrum — abbreviata in *syriaco* CANE — procerius elongata illi tribuit. De nomine nulla difficultas est. Cum antiquissimae Graecorum et Romanorum omnesque zoographorum ante Linnéum de *Lupo aureo* relationes, aut brevitate, aut indigesta copia, fabulisve obscurae atque inextricabiles sint, a Linnéo vera animalis illo nomine compellandi cognitio incipit. Linné CANIS *aurei* nomen anno MDCCLVIII in Systematis naturae editione X^ma^ illi animali imposuit, cuius uberiorem descriptionem rudemque et parvam iconem αὐτόπτης Kämfer dederat, qui de *Lupo aureo* prope littus caspium a se observato in Amoenitatibus exoticis pag. 407 verba fecit. Hinc persicus ille ferus Canis fulvus, quem Academici petropolitani descripserunt, verus Zoologiae CANIS *aureus* erit et si qua in Graecia aut Syria affinis aliqua diversa Canis species invenitur, ea alio nomine compellanda erit, etiamsi apud Graecos antiquissimos Λύκος ξανθὸς seu χρύσεος atque Θῶς Graeciae

animal fuisse videatur et apud Sacrae Scripturae interpretes syriacum animal ante Linnéum *Lupi aurei* nomine appellatum fuerit.

Antiquam Canis *syriaci* historiam Bochart in Hierozoici capite, quod de Thoibus inscribitur, maxima cum eruditione tractavit et illustravit. Praeter Arabum recentiorum nomen *Vauie,* quod ad vocem antiquiorum *Aui* proxime accedit et ululatum imitatur (1), ipse ululatus, magnitudo, locus natalis, color fulvus et mitior natura cum *Thoe* sive illo a Bocharto illustrato animali optime congruunt. Excludenda tamen ea omnia ex antiqua historia sunt, quae non ad animal in Cilicia, Syria aut Palaestina observatum spectant, in reliquis enim terris, quo remotiores a Syria sunt, eo minus idem animal illic habitare verisimile est.

De aliquo Cane *aureo* in Dalmatiae insulis Guipana et Corzola obvio meritissimus Partsch anno MDCCCXXIV nuntium attulit et anno MDCCCXXVI Neumayer, ab Illustri Schreibersio excitatus, cranium eius ex insula Guipana Viennam misit, anno vero MDCCCXXIX de Schaller, Praefectus Ragusanus, vivo animali in eadem insula potitus est, quod Viennam adductum illic pro vero Cane *aureo* habitum est. Vide Fitzinger in Iside Okenii MDCCCXXX pag. 372. Cum Canis *aurei* Linnéani cognitio nondum absoluta sit, neque Viennae specimen eius e Persia delatum adfuisse videatur, de nominis iusto usu illic facto dubitare licet. Probabilius vero hic et a Busbekio (in epistola prima) observatus Bithyniae canis ferus ad Aristotelis et reliquorum Graecorum Θῶα referretur, qui forsan etiam prorsus alio modo ita ululat, ut voce nomen antiquum imitetur. Hinc male Linnéus egit, qui *Thoi* nomen (Canis *Thous*) surinamensi alicui Cani dedit. Si qua Graeciae et insularum dalmaticarum Canis a persico Cane *aureo* vere diversus inveniatur, nomen Canis *Thois* (*Thos*) commode adhiberi posset. Guipanensis Canis a syriaco diversus videtur, nam Doctiss. Fitzinger rostrum elongatum esse notavit.

Russell Halepi quatuor Canis feri species distinxit, 1) Canem Iackal qui Persis *Tschikal* چکل et *Schaghal* شغال vocetur et prope Halep et Scanderun frequens sit. Hunc pro nostro *syriaco* Cane habuerim; 2) Canem Vulpem *Taaleb* تعلب, qui Canis *niloticus* esse videtur 3) *Dīb* دیب aut *Sīb* زیب, quem pro Cane *Dīb* habuerim; 4) *Schīb* شیب obscurum animal, a quodam Anglo Freer observatum, quod Lupo atrocius, Vulpe maius dicitur et a Cane *Dīb* forsan non, neque nomine, differt. *Nat. hist. of Aleppo* Vol. II. pag. 183 seqq.

In Palaestina Canis *niloticus* (Vulpes) etiam nomine *Abu el hossehn* vocari videtur; sic enim vocem interpretor, quam Doctiss. Scholz, qui nobiscum itineris africani partem peregit, pag. 142 relationis suae *Abuelchisani* scripsit.

---

(1) Syriacum *Vauie* ita fere trahendo clamare audivimus: *Aui aui aui aui i i i ī au au au au aui aui aui aui au au au au,* lamentabili sono. Gallice erit: *aoui aoui aou aou.*

De specimine nostro et de icone notandum est, caudam pellis in itinere ruptam et amissam, nec nisi partem 2″ 9‴ longam superstitem esse. In icone reliqua pars e memoria addita est. Dentes incisivi utrinque seni, supra medii quatuor trilobi, laterales bilobi, infra laterales duo trilobi, medii quatuor bilobi. In adulto forsan truncati omnes. Prope oris angulum tenuis margo nigricans ante album latiorem. Pollicis pedum posteriorum nullum vestigium ut in reliquis. Anatomen faciendi atque de animalibus parasitis quaerendi tempus opportunum non fuit.

Arabum antiquiorum vox *Beu aui* i. e. filii *Aui*, seu quibus pater est *Aui* gregem indicat et proprie scribenda est *Beui aui;* singulus Canis *Ibu aui* dicitur. Verum sic illa Arabum dictio latine male vertitur, nam Arabes voce *Ibn* filius et *Abu* pater eius possessionem aut virtutem solummodo indicant. Sic: *Abu daku* seu *Ibn ed daku* est aliquis, qui habet barbam seu barbam promissiorem; *Abu sehf* seu *Ibn es sehf* est aliquis qui habet gladium, qui gladio insignis est, qui gladio bene utitur. Sic *Beui aui* sunt Canes, qui habent vocem *aui*, qui clamant *aui*.

Nonne hebraica vox *Ochim* seu *Achim* אֹחִים Esaias XIII. 21., quae interpretes et philologos tantopere agitavit, cfr. Bochartum Hieroz. I. 866., originem duxisse posset ex voce *Auim* אוִים, scribarum vitio? Ululatus Canum *Aui*, Canes *Aui*. Non ululatus, sed ipsi Canes intelligendi erunt, nisi etiam vocem *Tsichim* antecedentem pro clamore habere velis. Bochart hic deserendus erit.

Animalia *Schualim* שׁוּעָלִים, quorum trecenta *Samsou*, ligatis caudis, cum taedis incensis Philistaeorum agris immisit (Iudices XV. 4.) ad Canem *syriacum* solum quadrare ea de causa videntur, quoniam Vulpes (Canis *niloticus?*) nec gregaria est, nec insigniter clamat idemque de Cane *deserti Dīb* (?) valet. Iam vero praeter illas in Syria nullae Canum aut Vulpium ferae species observatae sunt. Vulpes non cadaveribus vesci recte viri docti monuerunt, id vero Psalm. LXIII. 11. de animali *Schual* perhibetur. Rosenmüller, *bibl. Thiergeschichte*, animal *Ii* pro Cane *aureo*, animal *Schual* pro Cane *Vulpe* nuperrime declaravit, quod non probaverim.

CANIS *niloticus.*

PROPE CAHIRAM AEGYPTI INFERIORIS, PROPE SUCKOT NUBIAE ET IN DONGALAE INSULA EL KOREHR A NOBIS OCCISUS.

Arabis Aegypti vocatur *Abu Hagsehn* et *Abu el Hossehn* ابو الحصين. Saepe pronuntiant *Abuhossehn, Abelhossehn* et *Abelhassehn.* Berberis dongalanis *Abuhessinga* vocabatur. Arabes praeterea nomen *Taleb* ثعلب plur. *Taalib* ثعالب huic Cani tribuunt, quod vero in Aegypto *Cani Anubi* praecipue dari experti sumus.

Aegyptiam Vulpem ante Geoffroyum omnes ab Aristotele (1) inde, praeeunte inter recentiores Prospero Alpino (2) cum europaea Vulpe ad unam eandemque Canis *Vulpis* variabilem speciem retulerunt. Georgius Cuvier in prima editione praeclari libri *Le règne animal* anno MDCCCXVI in Geoffroyi sententiam non abiit, sed frater eius Fridericus Cuvier in libro *Diction. d'hist. naturelle* MDCCCXVII Canem *niloticum* proprio a Geoffroyo dato nomine suscepit eumque Desmarest secutus est, *Mammalogie* MDCCCXX. Antoine Desmoulins in libro *Dictionnaire classique d'hist. nat.* anno MDCCCXXIII utramque formam denuo coniunxit et Vulpi europaeae Aegyptum patriam et Arabum nomina dedit. Equidem cum Hemprichio anno MDCCCXXII complura aegyptiacae Vulpis specimina Berolinum misi eiusque specie diversam naturam observationibus, scriptis missisque pellibus et ossibus ita confirmavi, ut anno MDCCCXXIII species propria a Lichtensteinio in Catalogo Musei berolinensis illo nomine vendenda porrigeretur. Rüppell etiam serius Francofurtum specimina misit eaque Cretzschmar descripsit. Lesson et Fischer in Synopsi Mammalium MDCCCXXVII et MDCCCXXIX Geoffroyum secuti Canem niloticum seorsim enumeraverunt, sed neque Geoffroyi levis diagnosis, nec reliquorum parca additamenta Georgium Cuvier adegerunt, ut aegyptiacam Vulpem ab europaea diversam statueret, *Règne animal* ed. II. MDCCCXXIX. Rebus ita se habentibus, cum breves quae exstant descriptiones parvum comparationi locum dent, hanc ego uberiorem descriptionem et varii sexus atque aetatis picturam offerre non a naturae studii commodo alienum esse censui.

CANIS *niloticus* Geoffroy.

Character essentialis uberior.

C. statura Cane *Vulpe* gracilior, parum inferior, dorso medio, capite et artubus extus fulvis, corporis lateribus canescentibus, labiis albis, margine extimo ad oris angulum nigro, iugulo pectore et abdomine nigricantibus, caudae turgidae apice apud feminam candidiore, macula obscuriore obsoleta prope basin; rostro manibusque brevioribus quam in Vulpe.

---

(1) Aristoteles *περὶ ζώων ἱστορίας* c. XXVIII: *καὶ ἐν τῇ Αἰγύπτῳ — τὰ δὲ ἐλάττω (ἢ ἐν τῇ Ἑλλαδι) οἷον οἱ ὄνοι καὶ λύκοι καὶ λαγωοὶ καὶ ἀλώπεκες.*

(2) Prosper Alpinus hist. nat. Aegypti pag. 232. Lupi itidem (in Aegypti provincia) et Vulpes duplo minores quam apud nos apparent.

Dimensio partium ad carnes et pelles cum cranio et pedum ossibus facta:

Maris ad carnes:				Maris I. pellis f.			Maris II. p. farcta:			Feminae I. pellis rud.			Feminae II. p. rudis:			Feminae III. pellis rud.			Mas. catulus:			
Longit. totius ab apice rostri ad apicem caudae.	2′	11″	3‴	-′	-″	-‴	-′	-″	-‴	-′	-″	-‴	-′	-″	-‴	-′	-″	-‴	-′	-″	-‴	paris.
ad bas. caud. ope fili	-	-	-	1	10	9	1	11	2	2	1	2	2	1	-	2	2	9	1	1	4	
capitis ab apice rostri ope bacilli	-	5	10	-	5	10	-	5	11	-	6	-	-	6	2	-	6	1	-	3	7	
stirpis caudae	-	-	-	1	-	5	-	11	5	1	2	-	1	2	6	1	-	8	-	6	2	
totius caudae	1	3	3	1	2	6	1	1	6	1	4	9	1	4	6	1	3	-	-	7	-	
auris a basi superiore	-	-	-	-	2	11	-	2	11	-	-	-	-	3	-	-	-	-	-	1	7	
——— inferiore.	-	3	6	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
fissurae auris	-	-	-	-	2	11	-	3	1	-	-	-	-	3	-	-	-	-	-	1	7	
oculi	-	-	-	-	-	7	-	-	$7\frac{1}{4}$	-	-	$7\frac{1}{2}$	-	-	8	-	-	9	-	-	6	
narium aperturae lobatae	-	-	-	-	-	$2\frac{1}{2}$	-	-	3	-	-	3	-	-	$3\frac{1}{2}$	-	-	$2\frac{1}{2}$	-	-	2	
rictus oris a margine labii superioris	-	-	-	-	2	3	-	2	3	-	2	3	-	2	$4\frac{1}{2}$	-	2	3	-	1	1	
pedum anteriorum a cubito ad apic. ung.	-	-	-	-	7	6	-	7	5	-	-	-	-	-	-	-	7	5	-	3	7	
radii	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	4	7	-	5	-	-	-	-	-	-	-	
manus a carpo	-	-	-	-	2	10	-	3	1	-	2	11	-	3	2	-	2	10	-	1	7	
tibiae	-	-	-	-	5	3	-	5	4	-	5	8	-	5	11	-	6	1	-	2	6	
plantae	-	-	-	-	4	8	-	4	11	-	5	1	-	5	2	-	4	9	-	2	7	
unguis maximi anter.	-	-	-	-	-	6	-	-	$7\frac{1}{2}$	-	-	$6\frac{1}{2}$	-	-	6	-	-	6	-	-	$2\frac{1}{2}$	
——— ——— poster.	-	-	-	-	-	6	-	-	7	-	-	6	-	-	6	-	-	$4\frac{1}{2}$	-	-	$2\frac{1}{2}$	
colli ab occipite ad scapulam	-	3	11	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
corporis a femore ad humerum	1	-	9	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
corporis ab humero ad aurem	-	4	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
corporis a scapulae initio ad bas. caud.	-	11	4	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
vibrissae myst. max.	-	3	-	-	3	3	-	3	2	-	3	5	-	3	2	-	2	$8\frac{1}{2}$	-	2	-	
——— genarum	-	-	-	-	2	3	-	1	8	-	2	-	-	2	1	-	1	5	-	-	9	
——— gulae	-	-	-	-	1	5	-	-	9	-	1	7	-	1	4	-	1	$5\frac{1}{2}$	-	-	6	
——— temporum.	-	-	-	-	2	5	-	1	10	-	2	4	-	2	7	-	1	$4\frac{1}{2}$	-	1	6	
——— orbitarum.	-	-	-	-	2	3	-	1	2	-	2	5	-	2	3	-	2	3	-	1	8	
Dist. mutua aurium basi sup.	-	2	2	-	2	3	-	2	1	-	1	8	-	1	7	-	-	-	-	1	9	
——— oculorum antica	-	1	3	-	1	2	-	1	7	-	1	3	-	1	1	-	1	2	-	-	$10\frac{1}{2}$	
——— ——— postic.	-	2	7	-	1	11	-	2	2	-	2	3	-	1	11	-	2	2	-	1	$4\frac{1}{2}$	
oculorum ab apice nasi.	-	2	-	-	2	3	-	2	3	-	2	$4\frac{1}{2}$	-	2	$5\frac{1}{2}$	-	2	5	-	1	2	
anticae baseos auris ab apice nasi	-	-	-	-	4	11	-	4	10	-	5	-	-	5	2	-	5	2	-	2	11	
mediae baseos auris	-	5	3	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
verrucae palmae ab apic. pedis	-	-	-	-	2	6	-	2	9	-	2	3	-	2	-	-	2	7	-	1	5	
unguis pollicis ab apice pedis	-	-	-	-	1	9	-	1	10	-	1	$10\frac{1}{2}$	-	1	10	-	1	7	-	-	$10\frac{1}{2}$	
Latit. apicis nasi	-	-	-	-	-	6	-	-	6	-	-	6	-	-	6	-	-	6	-	-	4	
septi narium	-	-	-	-	-	$1\frac{1}{2}$	-	-	$1\frac{1}{2}$	-	-	$1\frac{3}{4}$	-	-	2	-	-	2	-	-	1	
aurium baseos	-	-	-	-	1	1	-	1	5	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	11	
——— maxima	-	-	-	-	2	-	-	2	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	1	$2\frac{1}{2}$	
caudae laxa mediae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	3	3	-	-	-	-	-	-	
——— basalis pilo appresso	-	-	-	-	-	10	-	-	$10\frac{1}{2}$	-	1	-	-	-	11	-	-	-	-	-	8	
capitis maxima	-	-	-	-	3	5	-	2	10	-	2	8	-	2	$9\frac{1}{2}$	-	2	8	-	2	4	
Altit. anterior pedib. extensis	1	1	8	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
——— naturalis	-	-	-	-	11	-	-	11	8	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	5	4	
poster. pedibus extensis	1	2	6	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
——— naturalis	-	-	-	-	11	10	1	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	5	$10\frac{1}{2}$	
capitis maxima	-	-	-	-	2	7	-	2	6	-	2	5	-	2	6	-	2	9	-	1	9	

Maris ad carnes:	Maris I. pellis f.	Maris II. p. farcta:	Feminae I. pellis rud.	Feminae II. p. rudis:	Feminae III. pellis rud.	Mas. catulus:
Ambit. capitis maximus inter oculos et aures . . -′ -″ -‴	-′ 9″ 6‴	-′ 9″ 1‴	-′ -″ -‴	-′ -″ -‴	-′ 9″ -‴	-′ 6″ 10‴ paris.
rostri proxime ante oculos . . . . . - - -	- - 11	- - -	- - -	- - -	- - -	- - -
rostri ad dent. canin. - - -	- 1 6	- - -	- - -	- - -	- - -	- - -
Nasus mandibulam superat . - - -	- - 4	- - 3	- - 5	- - 5	- - 5	- - 3

Descriptio Maris adulti,

vellere hiberno:

(Ianuario ad Suckot Nubiae occisi)

Statura Cane *Vulpe* paullo inferior, longe gracilior. Pedes et vellus ipsaque ossa tenuiora, hinc aures pedesque longiores apparent, etsi re vera longiores non sint. Caput quartam fere corporis partem aequat, tibiis 7‴ longius (in aliis aeque longum). Aures dimidio capite longiores. Pedes anteriores a cubito inde caput tertia eius fere parte superant. Plantarum et capitis longitudo pollicis fere differentiam offert, longiore capite. Capitis duplex longitudo caudae stirpem fere aequat. Manus dimidia planta parum longiores. Vibrissae mystacis duas tertias fere capitis partes (in aliis dimidium) longitudine aequant. Pilus dorsi pollicaris et sesquipollicaris, lanugine multum circumdatus, mollis, variis coloribus pictus: basi tenui albicat, medius late nigrofuscus, superne albus in fulvum abiens, summo apice nigro. Infera pilorum tenuior pars crispa, superior turgida stricta. Lanugo crispa basi cinerea apice fulva, pone scapulas et pone aures flavo-albicans. Caudae pilus subbipollicaris, apice duos pollices excedit. Vibrissae capitis omnes nigrae atque rigidae. Color generalis cano-fulvus, lateribus canescentibus, fascia dorsuali media lata fulvescente. Caput flavicans, lateribus nasi et macula oculos cingente intensius fulvis, nasi apice nigrofusco. Oris summus margo proxime ad angulum nigricat, prope apicem totus, prope angulum remotius a margine late albus, mandibula apice media griseo-fusca. Pedes extus fulvi, antica facie nigro leviter adspersi. Subtus color ubique e fusco nigricat, pilorum maculis albis canescit. Abdominis omnisque nigri coloris margo albido limbatus. Tibiae cubitique intus albicant, superiore tamen parte nigrescente. Aures intus albi extus toti nigri, exceptis angulis baseos utrinque, extimo margine tenui ubique flavido. Ungues cornei albicant. Cauda dense pilosa ampla, supra basi fulva, versus apicem subtusque flava, pilorum apicibus subtus longius nigris. Apex caudae pallidior nec albus. Macula caudae basalis nigricans supera 3 pollices a basi distans obsoleta. Latitudo caudae laxae 3″ superat. Iris in vivo fusco et aureo varia.

Maris adulti secundi:

Color generalis idem ac in priore. Latera fulvo-cinerea, medio dorso, pedibus, nasi lateribus caudaque fulvis. Subtus ubique nigricat, verum ad inguina flavet, quo a priori differt. Praeterea eo differt, quod prope genua quaterna nigredinis vestigia magis distincta sunt, quae in antica facie ad manus usque decurrunt. Aurium fulvi anguli minores sunt. Caudae apex pallide flavidus et macula basalis caudae nigricans aequali ratione inveniuntur. Mensurarum differentias supra dedimus.

Feminae adultae I.:

Color generalis a prioribus eo differt, quod magis rufescit. Medium dorsum rufo-fulvum, latera flava. Pedes fulvi, nigredine nulla. Vertex magis rufescit. Aures ut in prioribus. Abdominis color nigro-fuscus. Caudae apex candidior, macula basali magis obsoleta nec deficiente. Nasi apex et Vibrissae nigra. Ungues albidi. Lanugo nigricante fusca, ad scapulas et pone aures albicante cinerea. Mammae 8. Hanc varietatem Francofurtana icon fere reddit.

Feminae adultae II.:

(Novembre ineunte ad Cahiram occisae.)

Colores omnes saturatiores ac distinctiores. Latera cinerea dorsum fulvum. Pedes in postica facie castanei. Subtus collo et abdomine e violaceo nigris, regione inguinali albicante. Oris limbus et caudae apex candidiora sunt. Vibrissae capitis nigrae in genis albido terminatae. Caudae albus apex duos pollices et dimidium longus. Mammae 8.

Feminae adultae III.:

Colores omnes magis diluti. Color labiorum albus parum distinctus. Subtus nigricante cinerea, ad inguina pallidior. Umbra fusca inter oculos et apicem rostri obsoleta. Capitis nonnullae setae apice albidae. Caudae apex albicans.

Maris catuli valde iuvenilis:

(In Insula Nili el Korehr Dongalae Martio occisi.)

Totus flavus, subtus e dilute cinerascente albidus. Color e lanugine. Longiores dorsi pili rari apices nigros offerunt. Oris limbus candidus. Aurium macula basin non attingens nigricante-cinerea. Pedum ultimi articuli cum digitis nigricant. Cauda turgide lanuginosa flava, apice albo, macula basali obscuriore nulla. Mensurarum differentias suo loco dedimus. — An huius speciei?

Animal in utraque Aegypto et Nubia frequens, omnino Vulpis nostrae natura. In speluncis habitare Aegyptii narrant. In ventriculo eius Coleopterorum fragmenta et dactylos, Phoenicis fructum, invenimus. Feminam adultam II^{dam} in Citreto prope Cahiram ipse occidi, ubi cum *Ichneumone* per herbas reptitabat. Femina Mare maior et caudae apice albo insignior.

Epizoa nulla, Entozoa diversa IX. observavimus.

Corollaria.

Arabes Canem *niloticum Sabora* appellare Rüppell perperam nuntiavit. Apud Arabes utriusque Aegypti talem Canis denominationem nunquam audivimus. Neque Prosper Alpinus, nec Hasselquist, nec Forskål, nec Niebuhr, neque Geoffroy eiusque docti socii, qui de Vulpe Aegypti egerunt, huius nominis mentionem fecerunt. In Nubia quidem nos etiam apud

Berberos et Arabes vocem *Sabr*, aut *Sabbar*, aut etiam *Sabur* audivimus (¹), verum haec solis nubicae Canis speciei illi, quam Cretzschmar Canis *famelici* nomine indicavit et quam nos ante eum Canis *pygmaei* nomine in Diariis Academiae berolinensi missis descripsimus et alii, quem Canis *Sabbar* nomine dubitanter indicavimus, ab indigenis dabatur. De speciali nubici Canis *Sabbar* et alterius in Aegypto superiore a nobis occisi, quem anno MDCCCXXII Canis *Vulpeculae* nomine Berolinum misimus, differentia non certi fuimus. Canem *Sabbar*, cuius unicum specimen a nobis Berolinum missum est, cum meis et Hemprichii de eo scriptis observationibus mensurisque satis copiosis denuo contuli eiusque propriam naturam mihi informavi et stabilivi, de quo suo loco plura dicam.

In penu Viri eruditi, omnique fide digni Petri Forskålii Vulpi aegyptiae arabicum nomen *Doren* additum est idemque Zoologi posteriores (Schreber et Desmoulins *Dict. class. d'hist. nat. Article Chien*, Canis *Vulpes.*) repetierunt, Meninski etiam in Lexico arabico suscepit. Nomen illud ex aliquo Niebuhrii errore, quales invitus multos commisit originem duxisse suspicor. Forskålii schedulas enim singulas colligere opus ingratum Niebuhrio fuit, utile scientiae licet. Pauci editoris errores sensim evanescent et Forskålii candida eruditio, nullo gloriolae studio contaminata purior elucebit. Vox *Doren* دربن, aut *Daren*, quam pag. V. Forskål (*Descr. anim.*) inter voces incerti generis repetiit, non Aegypti, sed Arabiae vox esse videtur, quae alicui animali illic datur, quod in speluncis habitat. In Aegypto nemo vocem *Doren* post Forskålium audivit, in Arabia eruditi pauci fuerunt. Nos in Arabia illam vocem non audivimus; Forskålio, *Vulpem* an *Melem* indicet, ambiguum fuisse videtur. *Melem* in Arabia habitare non experti sumus, nemo praeterea retulit. Hinc id esse statuendum videtur, vocem *Daren*, sin alicui Cani, verisimilius non *nilotico*, sed alicui Arabiae meridionalis in speluncis habitanti Cani tribuendum esse. Uberior huius investigatio atque descriptio posteris peregrinatoribus commendanda est.

Arabum vox *Abu Hossehn* non indicat filium *Hossehni*, nec patrem *Hossehni* i. e. Viri *Hossehn* dicti, quod zoologi complures tradunt (vide Desmarest in nota ad Canem *aureum* aliosque), sed filium speluncae. Ipsum viri nomen apud Arabes ex eodem fonte derivandum videtur. Hoc enim modo nomina formandi mos Arabis vulgaris est. Qui barba insignis est, filius barbae, *Ibn ed dakn*, aut etiam sic: aliquis cui pater barba est, *Abu dakn*, appellatur, de quo confer Corollaria ad Canem *syriacum Ben aui*. *Abu Hossehn* seu *Abu Hassan* est omnis qui in propugnaculo (*Hosn* حصن) sedet, dominus arcis (*Burgherr, Burgbesitzer*). Apud Viros vox *Abu* omissa est iique nude Arx, Propugnaculum (*Burg*) appellantur. Alio vero modo apud animalia est. Vulpes nunquam *Hossehn*, semper *Abu Hossehn* vocatur. Causa in nominis data explicatione inest. Hinc iure omnes Canes in speluncis habitantes in diversis terris eodem nomine arabico appellabuntur. Sic iure suo Canis *pallidus* Cretzschmari,

---

(¹) Vox *Sabbar* aut *Sabur* arabice forsan صبور scribenda est, quod animal mansuetum, lente ingrediens indicat. Ubi hoc nomen Arabes dabant, scribendi periti non aderant, scribendi peritis quos dein vidimus, nomen ignotum erat, in tali vero casu semper propriae auri plus fidei tribuimus. quam astutorum scribarum ignorantium orthographiae.

quem nos antea CANIS nov. sp. nomine Berolinum misimus, ab incolis dongalanis *Abu Hossehn* vocatur, etiamsi verum eius nomen speciale apud eosdem *Abu Suhf* sit. Falso autem CANIS *aureus* eiusque similes, qui nunquam speluncas habitant, *Abu Hossehn* vocabuntur, quod nomen a Zoologis, Desmarestio, aliis, allegatum est.

CANIS *niloticus* hic descriptus ab eo differt, cuius diagnosin Ill. Lichtenstein *in dem Verzeichnifs der Doubletten des berliner Museums* MDCCCXXIII dedit. Macilentas illas formas a nobis Berolinum missas aliis speciebus adiudico, CANI *Vulpeculae* nostrae et CANI *Anubi.*

Fuerunt, qui CANEM *aureum* Linnéi et CANEM *niloticum* antiquissimis Aegyptiis sacros fuisse censerent. Plura de Canum antiqua historia ad CANEM *sacrum* et CANEM *Anubin,* in proxima Decade definiendos tradam. Ad CANEM *niloticum* aliquis cultus falso delatus videtur, neque vero CANIS *famelicus,* quem Cretzschmar allegavit, illic spectare videtur, cum *Anubi* color niger tribuatur, ille vero gula et abdomine albus sit. CANIS *Lupaster Dīb* aegyptius, quem *Anthum* francofurtani perperam appellarunt, vulgo pro Lupo habitus est, idemque a sacro Aegyptiorum Lupo, cauda comosa detinetur. De his alibi plura tradam.

Icon quam a Bürdeo delineatam porrigimus in tabula XIX^no^ exstat. Monendum est colores formamque optime reddita esse, feminae mediae caudae apicem solummodo in animali ipso candidiorem esse. Fascia nigra prope apicem caudae Maris sedentis a torsione caudae pendet et pilorum inferiorum apicibus sibi magis approximatis nunc formatur, nunc relaxatis illis, aboletur. Catulus, si vere ad hanc speciem pertinet, de qua re dubius sum, abdomine albo insignis est.

De Canibus africanis in genere, appendix.

Praeter *syriacum* CANEM et praeter HYAENAM in Arabia, utraque Aegypto et Nubia ad Habessiniam usque XIII. Canis generis singulares formae a nobis observatae sunt eumque numerum Francofurtanus peregrinator Rüppell, qui postea in iisdem terris corpora naturalia collegit, etiamsi is etiam VII. feras Canum species studiose congesserit, unica nova forma, CANE *variegato,* auxit. Canum ferorum illius terrae diversas formas perfectius igitur innotuisse verisimile est, nec ulla terrae globi alia regio aequalem Canis Generis formarum numerum obtulit. In speciebus, quas dicere solent zoologi, determinandis magna cum cura occupatus fui. Operam et difficultatem ii intelligent, qui ipsi in similibus studiis versati sunt, rem vero actam esse non glorior. Qui enim de firmis speciebus atque naturae quibuslibet firmis legibus certant in ipsa naturae contemplatione parum versati sunt. Ingenuus naturae contemplator modestius studium in id impendit, ut veritati, quam praeter Deum, quem vocamus, mortalium nemo assecuturus est, pedetentim suas appropinquet cognitiones in eoque animi oblectamenti nunquam attingendum, semper vero

propiorem terminum habet. — Missis generalioribus illis difficultatibus ad Canum varias formas enumerandas accedamus. In diversa quavis provincia diversas Canum formas in Africa observavimus. Solus Canis *niloticus* in Dongala etiam a nobis idem repertus est. Ubi greges vidimus omnia a nobis visa et occisa eiusdem gregis specimina forma et colore maxime similia erant; ex altera vero parte non negaverim, nonnullas in diversis locis observatas et aliquibus notis bene distinguendas formas sibi admodum similes inventas esse. Utrum igitur Canis Generis specierum ingens multitudo atque diversitas in Africa sit, an paucae illius Generis species in Africa admodum variabiles sint et solummodo parentes proximique agnati greges similares forment, de eo posterorum observationes certent. Si quis sine nova observatione rem diiudicare velit, is solummodo nugas traderet, scientiae oneri futuras. Equidem, cum ambigua sit res, in definiendis formarum differentiis scrupulosius studium ponere meum esse duxi.

Observationes meas a Cane *familiari* incipiendas censui. In nulla fere alia terrarum parte Canis *familiaris* tam singulari natura invenitur, quam in Oriente et imprimis in Aegypto. Singularem illam naturam peregrinatores multi quidem observarunt et enarrarunt, sed zoologicos eius characteres nemo bene perpendit, ea etiam quae ex Rüppellii relatione Cretzschmar notavit ad illam naturam bene illustrandam minime conducunt. Canis *familiaris aegyptius*, quem Linné et Buffon cum Guineensi cane commutarunt ideoque pilis destitutum declararunt, qualis illic nusquam invenitur, aperte gregarius est etiamsi libere per plateas vagetur, ideoque ab europaeis Canibus indole sua valde differt. Praeterea notatu dignum visum est, quod illi Canum familiarium aegyptii greges colore quidem, valetudine, macie, obesitate, aetate et alacritate saepe valde diversos Canes contineant, forma vero levius variabiles sint. Omnes etiam, si scabiosos et leprosos exceperis, pilosi sunt. Hinc sane fieri potuit, ut Francofurtani viri docti, qui Rüppellii relationes percensuerunt, Canem ferum sibi *Anthum* dictum, quem Canem *Lupastrum* vocamus, pro aegyptii Canis parente haberent. Eundem vero Canis *pomerani* et europaei Canis *familiaris domestici* parentem esse, quod iidem suspicantur, ea de causa non probabile est, quoniam aegyptius Canis gregarius est et suae propriae indolis et quoniam Pallasii de Cane *aureo* sententia non omittenda est, quam in Zoogr. I. pag. 40. his verbis edit: „Nec dubium est, primam et primariam Canis domestici (Rossiae) stirpem ab hac specie (Cane *aureo*) esse derivandam." Eandem sententiam nuper quidem Tilesius, Nova Act. Leopoldina XI. pag. 393, ad Canes omnes domesticos detulit, sed perperam, uti videtur. Probabilius est, suam quamque terram Canis *domestici* stirpem feram propinquam habere et paucas esse terras, in quibus peregrinae formae, sicut nunc in Europa, in infinitum multiplicatae, mixtae et civicatae sint. Africa hanc sententiam optime probat. Errant enim peregrinatores, nec bene observarunt, qui unam eandemque speciem illic domesticam esse narrant. Canis ille aegyptius qui Cani *Lupastro* (C. *Autho* Cretzschmari) similis est, in sola, maxime littorali Aegypto domesticus est. In Nubia, a superiori Aegypto inde, aliam, ab hoc valde diversam formam in pagis vidimus. Nubicus Canis minor, multo alacrior, multo gracilior et colore semper fulvus est. Hunc Canem Dongalani ad venationem Antiloparum et Leporum adhibent, in quem usum aegyptius piger Canis admitti plane nequit. Dongalanorum venaticus Canis Cani fero dongalano ei valde affinis est, quem Canis *Sabbar* nomine descripturus sum et cuius specimen cum reliquis Berolinum attuli. Priorum observatorum optimum Alpinum cfr. H. nat. Aeg. p. 230.

Hinc equidem concludo, Canum ferorum familias, sicut illas domesticorum in Aegypto inferiore et superiore, non adeo adulterio degeneratas mixtasque esse, quin specierum characterem servaverint, eamque quae sequitur studii nostri in Canibus systematice definiendis positi offero praelusionem.

CANES AFRICANI LIBYCI.

a. HETERODACTYLI, pedibus anterioribus pentadactylis, Canes *veri:*

LUPINI:

(capite longius conico; non fodientes.)

1. Canis *Lupaster* H. et E. *Dīb, Sīb* ديب.

Vulpe maior, Lupo affinior, inferior, longius pilosus cinerascente flavidus, fusco nigroque obsolete varius, capite incrassato, ore subacuto, vertice auribus naso pedibusque flavis, cauda brevi laxius pilosa, apicibus pilorum et macula prope basin nigricantibus aut rufis.

C. *Anthus* Cretzschmar nec Frid. Cuvier.

In Fayum vulgaris. Lupus Aegypti.

2. Canis *sacer* H. et E. *Dīb* ديب. *Pioeonsch.*

Vulpis statura et altior, appressius pilosus, nitidulus, parca lanugine, fulvus, subtus albus, linea dorsi nigricante, cauda appresse pilosa virgata, nec lanuginosa, supra tota, subtus ab apice longius nigra. Ob caudam parce pilosam propius ad icones Canis *sacri* (Lupi) accedit quam prior.

In Fayum rarior.

3. Canis *familiaris Kelb* كلب. *Pisiouthi.*

α. aegyptius: Vulpe maior, Lupo inferior, facie Lupi; colore variabilis, pilosus cauda laxe pilosa parum lanuginosa, corpore breviore (nec gracili), indole pigra. Cani *pomerano* et *pastorali* proximus, in Aegypto gregarius, familiaris.

β. dongalanus: Vulpis statura, facie Canis *Sabbar;* colore fulvus, cauda appressius pilosa vix lanuginosa, corpore gracili, rostro longiore. Velox, venaticus, nec gregarius.

Canis *aegyptius* Linnéi nudus in Aegypto non habitat.

4. Canis *riparius* H. et E. *Wokeré.*

Vulpis statura, strictius pilosus, albicante cinereus, in dorso nigro fuscove obsolete varius, vertice auribus naso pedibusque flavis, ore acuto, cauda brevi flavida rufo nigrove terminata.

Habessiniae littus prope Arkiko.

Sea fox Salt.

5. Canis *variegatus* Cretzschmar. *Abu schom.*

Statura Vulpem vix acquans, corpore ochraceo, pilis villosis ad apicem nigerrimis, auriculis ochraceis, iuba in adultis nigra.

Nubia. Aegyptus superior. Nobis non visus.

6. Canis *Sabbar* H. et E. *Sabbar.*

Vulpe minor, supra castaneus, oris margine et subtus albicans, collo undique cinereo subtus pallidiore, capite pedibusque fulvis, auriculis extus nigro-cinereis basi flava, cauda lanuginosa longa apice alba, basi et macula prope basin nigra.

Dongala.

7. Canis *Anubis* H. et E. *Taleb* ثعلب.

Vulpe minor, supra fulvus cervice et scapulio castaneis, ad latera cinerascens, collo subtus cinereo, abdomine rufo, capite pedibusque a genu fulvis, cauda lanuginosa apice alba, ore albo, auriculis extus late nigrofuscis.

In Fayum.

Ob gracilitatem, colorem nigricantem et Aegyptum patriam propius ad nigrum *Anubin* accedere videtur, quam Canis *famelicus,* qui dongalanus et subtus albus est.

8. Canis *Vulpecula* H. et E. *Taleb* ثعلب.

Vulpe minor, supra flavus aut cinerascente flavus, ore et subtus ubique albidus, cauda parcius lanuginosa, graciliore, flava, apice alba, auriculis extus nigrofuscis.

In Fayum.

Haec Vulpes parva Aegypti Aristotelis et Alpini esse videtur.

VULPINI:

(capite brevius conico, acuto; fodientes.)

9. Canis *niloticus* Geoffroy. *Abu hossehn* أبو حصين. *Deaschoer.*

Vulpe parum inferior, dorso medio fulvo lateribus cinereis, subtus ubique nigrocinereus, gula et caudae apice albis, auriculis extus atris.

Aegyptus et Dongala.

10. Canis *famelicus* Cretzschmar. *Sabbar.*

Vulpe multo minor, supra e cinereo fuscescens, genis et fronte ochraceis (fascia dorsuali fulvente), subtus albidus ore valde acuto, macula iuxta mystaces nigricante, cauda laxa supra cinerea, auriculis extus flavido cinereis.

Dongala.

Cum non niger sit, non *Anubis* erit.

11. Canis *pallidus* Cretzschmar. *Abu suhf.*

Vulpe multo minor, pallide flavicante cinereus, capite et subtus albidus, dorso obsolete albo variegato, auriculis flavocinereis, caudae laxae, flavidae summo apice nigro.

Dongala.

Canis *pygmaeus* H. et E. mscr. MDCCCXXII.

12. Canis *Cerda* Zimmermann. *Abu suhf.*

Statura Canis *melitaei,* corpore supra stramineo, infra albo, cauda apice et prope basin supra fulvonigricante, auriculis capitis longitudine extus flavocinereis.

Dongala.

Anno MDCCCXXII duo specimina Berolinum misimus.

b. ISODACTYLI, pedibus omnibus tetradactylis:

13. LYCAON *pictus* Brooks. *Simoue,* Arabum.

Statura Lupi, Vulpe maior, ochraceo et nigro late maculatus, facie nigra, caudae apice albo.

Dongala.

Lycaon Solini et Chama Plinii esse videtur.

Greges eius MDCCCXXII saepe vidimus, specimine non potiti sumus, reliquas formas venatione occidimus.

Berolini Novembre MDCCCXXXII.

FELIS, PARDUS?, *Nimr*.

IN SYRIAE, ARABIAE FELICIS MONTIBUS PROPE GUMFUDAM, IN DONGALA AETHIOPIAE ET IN HABESSINIAE LITTORE A NOBIS OBSERVATUS.

Arabis Syriae, Arabiae et Nubiae hodieque vocatur *Nimr* نمر aut *el Nimr* النمر i. e. Maculata, Varia. Habessinis Tigrensibus vocatur *Nimr* (*Namer* ነምር: Ludolf), Amharnis *Nibr* (*Naber* ነብር: Ludolf).

Synonyma sunt:

NAMER נָמֵר Hebraeorum!

ΠΑΡΔΑΛΙΣ Aristotelis.

ΠΑΡΔΑΛΙΣ Oppiani ex parte.

ΠΑΡΔΑΛΙΣ Plutarchi.

PANTHERA Plinii et Ciceronis.

VARIA et PARDUS Plinii ex parte.

Animal *Nimr* in antiqua generis humani historia, quatenus in Hebraeorum, Graecorum et Romanorum monumentis nititur, tam celebre est, ut cognitionem eam, quam in Syria, Arabia, Nubia et Habessinia de eo collegimus, imperfectam licet, retinere noluerim. Stupendam doctrinam philologi, inter quos Gesner et Bochart eminent, in colligenda atque enucleanda de *Panthera, Leopardo* et *Varia* antiquorum cognitione posuerunt. Maxima vero illa opera in verborum explicatione versatur et rem ipsam parum illustravit. Prima animalium ipsorum studia post Gesnerum et Buffonem aliosque qui infelicius hanc materiam tractarunt Geoffroy (*Ann. du Museum* MDCCCIV), maxime vero Georgius Cuvier (*Ossemens fossils*) eo studio atque ingenio fecit, quo omnes in rem suam contrahere atque cogere solebat. Cuvier ex tota Africa et Asia occidentali unicam FELEM *maculatam* hucusque cognitam, sed variis nominibus descriptam esse statuit, eamque Linnéi FELIS *Pardi* nomine appellandam esse censuit. Celeberr. Temminck in libro *Monographies de Mammalogie* in eam sententiam non omnino abiit, Africae quidem unicam speciem esse probavit, sed Linnéi FELIS *Pardi* nomen indicae Feli maculatae et longius caudatae dedit. Posteri, quibus egomet adfui *Annales des sciences naturelles* MDCCCXXX, hanc mutationem, quam Fischer in Synopsi Mammalium suscepit, cum ipso Cuviero (*Règne animal* ed. II.) non probarunt. Nuperrime Doctiss. Wiegmann in Iside MDCCCXXXI operam suam antiquorum cognitioni de Felibus navatam, quam priore anno ad Okenium miserat, typis expressam dedit. FELEM *chalybeatam* Hermanni suspectam atque erroneam esse ingeniose, nec sine verisimilitudine docet, novam speciem FELIS *caudivolvulae* nomine in vivario ambulatorio a se visam indicat et ex FELIS *Irbis* pelle a me e Sibiria allata, cuius descriptionem

eodem tempore ipse dedi, Felis *Unciae* Buffonianae specialem characterem arguere studuit. Praeterea *Pardalem* Oppiani maiorem ad Felem *Pardum* Linnéi et Cuvieri, parvam vero ad asiaticam Felem *Pardum* Temminckii (Leopardum Cuvieri) allegat; *Pantheram* denique antiquorum pro Fele *Uncia* habendam censet. Hermannum emendaverat etiam Reisseisen.

De Fele *Irbi* (quae Felem *Unciam* Buffonis ex parte tantum aequat) loco laudato sententiam meam edidi. Antiquis Graecis et Romanis eam *Pantherae* nomine cognitam fuisse ea de causa non probaverim, quoniam Felis *Irbis* a Fele *Pardo* longe gravioribus characteribus, quam colore albo differt, praeter quem inter Pantheram et Pardum „aliam differentiam" Plinius „non invenit" (VIII. 23.). Villositas caudaeque crassities, quae Buffoni, Pallasio, Hamiltoni Smithio, mihi denique, hoc est omnibus qui Felem *Irbin* viderunt statim memorabilis visa est, Plinio memorabilem non fuisse, si in vulgari Panthera adfuisset, verisimile non est. Nec macularum singularem formam Aristoteles, Xenophon, Plinius et reliqui tacuissent.

Cur Felis *Pardi* nomen in hoc tractatu cum interrogationis signo scribendum censui, causa ea est, quoniam pelles ex Africa meridionali et occidentali allatas rufas utplurimum et maiores vidi. Hinc non ab omni verisimilitudine alienum est, plurimas auctorum disquisitiones de veterum *Pardo* solummodo ad australis et occidentalis Africae animalia, quorum pellium longe maior copia apud pellionarios et in Museis exstare videtur, factas esse. Parva nostri animalis copia in monte Libano, Arabia et Aethiopia versatur, ideoque notitias nostras ad animalia rariora, antiquis Graecis et Romanis verisimilius cognita, propius accedere et futurae accuratiori comparationi, quae ipsi mihi negata est, utiles fore censui.

FELIS, Pardus Linné?, *Nimr.*

Character essentialis.

F. statura *Leaenа* minor, *Ovis* fere magnitudine flavescente albida, dorso medio levius fulvescente, ocellis e macularum nigrarum quaternarum, quinarumve annulis in medio tantum corpore notata, areolis annulorum fulvescentibus, auribus apice basique albidis, macula media nigra, vibrissis superioribus nigris, inferioribus totis albis (nec basi nigris).

Dimensio partium ad pelles sine ossibus facta:

	I. pellis farcta:			II. pellis rudis:		
Longitudo totius ab apice rostri ad basin caudae ope fili a dorso	3′	-″	4‴	2′	7″	9‴ paris.
capitis ab apice rostri ope bacilli	-	6	4	-	-	-
totius caudae defectuosae	1	8	4	2	2	-
auris a basi superiore	-	1	10	-	-	-
fissurae auris	-	2	1	-	-	-
oculi	-	-	8	-	-	-
narium aperturae	-	-	8	-	-	-
rictus oris a margine labii superioris	-	2	8	-	-	-
pedum anteriorum a cubito ad apicem unguium	-	11	5	-	-	-
tibiae?	-	8	3	-	-	-
plantae	-	6	6	-	-	-
unguis anterioris	-	-	9	-	-	-
vibrissae oris maximae	-	2	4	-	-	-

	I. pellis farcta:			II. pellis rudis:		
Longitudo vibrissae genarum maximae (ruptae)	-′	-″	7‴	-′	2″	6‴ paris.
——— gulae	-	-	9	-	-	-
——— temporum	-	-	-	-	1	8
——— orbitarum	-	-	-	-	1	-
Distantia mutua aurium basi supera	-	4	9	-	-	-
—— oculorum antica	-	2	$1\frac{1}{2}$	-	-	-
—— ——— postica	-	3	2	-	-	-
oculorum ab apice nasi	-	2	3	-	-	-
baseos auris ab apice nasi	-	5	3	-	-	-
unguis pollicis ab apice pedis	-	2	2	-	-	-
Latitudo apicis nasi	-	1	-	-	-	-
septi narium	-	-	$3\frac{1}{2}$	-	-	4
aurium baseos	-	1	1	-	-	-
—— maxima	-	1	8	-	-	-
caudae basalis pilo appresso	-	1	5	-	-	-
vestigii anterioris	-	2	5	-	-	-
—— posterioris	-	2	3	-	-	-
capitis maxima	-	5	-	-	-	-
rostri a medio naso	-	2	1	-	-	-
Altitudo anterior	1	3	8	-	-	-
posterior	1	5	-	-	-	-
capitis maxima	-	4	1	-	-	-
Ambitus capitis maximus inter oculos et aures	1	4	5	-	-	-
Nasus mandibulam superat	-	-	$7\frac{1}{2}$	-	-	-

Descriptio pellis farctae I. arabicae:

Statura CANIS *Lupi* maioris, *Leaena* inferior. Caput, ab apice nasi pone aures usque, sextam fere corporis partem longitudine aequat. Caudae mutilatae rationes verisimile reddunt, totam caudam solum corpus sine capite fere aequare aut breviorem esse. Aures tertia capitis parte paullo breviores sunt. Altitudo posterior dimidiam fere corporis longitudinem aequat, anterior parum recedit. Pilus in dorso 4 aut 6 lineas longus appressus in abdomine prope inguina sesquipollicaris, non admodum rigidus, laxior, nusquam bicolor, in tota pelle parumper, hic illic valde, detritus. Color pallide flavicans, exalbescens, maculis creberrimis fuscescente atris antica et postica parte singulis sparsis, media acervatis saepe in annulos oculares congestis, subtus candidior, maculis nigrioribus. Capitis maculae creberrimae parvae sparsae oblongae saepe lineam referentes, longitudine sexlineares, diametro trilineari. Tales maculas maiores inter aures 8, inter oculos minores fere 10, inter aures et oculos fere 9 numerantur. Omnes hae maculae subrufae spatiis albis distentae, quae ipsis maculis parum maiora sunt. In medio vertice maculae lineares convergunt et in cristae levissimum vestigium confluunt, quod vero in aliis pellibus aliunde allatis non vidi. Super oculos cilia nigrofusca. Mentum album. Macula lata nigra ad oris angulos, longiore in maxilla superiore, breviore in mandibula, cuius apex albus. Mystacis vibrissae lineis tribus (?) nigrofuscis basi excipiuntur. Vibrissae plurimae detritae sunt, inferiores quae supersunt colore totae albae nec basi nigrae sunt. De his confer alterum specimen. Aures basi et apice albidae, mediae nigrofuscae. Colli maculae sparsae. In iugulo praeter lineam punctatam, transversam, anticam, tres fasciae tenues continuae nigrae exstant. In cervice media nigriores angustae maculae lineas duas, fere parallelas, interruptas formant. In pectore candidiore puncta nigra rariora. Pedes anteriores maculis simplicibus maioribus suborbicularibus

fere 9‴ latis varii. In humeris maculae ad rosarum formam imperfectam consociantur, quae forma in mediis corporis lateribus perfectior exstat. In medio pede prope cubitum macula ocellata et integra parva utrinque conspicitur. Nigrofuscae semipollicares laterum maculae ternae, quaternae, quinaeve in rosarum formam coeunt, sive circulos formant, areola media fulvescente. Rosae superiores 1″ 3‴ fere diametro accedunt, inferiores latiores, 1″ 10‴. In Uropygio totaque Prymna rosae nullae, sed maculae sparsae eaeque in femoribus maiores, nigriores, 1″ 3‴ longae, 8‴ latae. In imo pede maculae decrescunt, in digitis striolas et puncta referunt. Uropygii maculae a cauda visae in 7 ad 8 lineas seu series parallelas discerni possunt, quarum superiores valde distincti, inferiores minus regulares sunt. Mediae duae macularum series a reliquis paullo maiore spatio detinentur, minore vero inter se distant et in mediam caudam continuantur. His color obscurior est. Caudae maculae oblongae et rhomboides a basi inde per maximam caudae longitudinem series longitudinales parum regulares efficiunt, versus apicem magnitudine crescunt. Propius ad apicem macularum latitudo transversam fere earum directionem efficit. Subtus cauda candidior, maculis rarioribus. Transversa prima caudae macula a basi caudae 1′ 7″ 6‴ distat. Ungues albi.

Descriptio pellis rudis II. habessinicae:

Priori simillima Berolinum allata pellis, pilo minus detrito glabroque nitens, sed magis defectuosa, quare farciri et in veram animalis formam redigi nequivit. Pili omnes stricti in dorso 6- ad 9-lineares, vera lanugine nulla, nisi in abdomine ubi crispati pili molliores intersiti sunt. Color generalis huic etiam albicat, dorso medio tantum levius fulvescente. Macularum spatia albida pilis sparsis paullo longioribus apice nigris variegata sunt, id quod vero e longinquo non discernitur. Uropygii macularum series regulares solummodo quaternae. Aures e cinerascente albidae macula media nigrofusca, intus pilis albis hirtae, uti apud priorem. Plantae pedum posteriorum postice e cinereo nigricant. Mystacis lineae nigrae distinctae 5, superiores breviores, postice divergentes. In superioribus vibrissae totae nigrae breviores nonnullae superstites, in inferioribus aliae longiores, totae albae, nec basi nigrae. Praeterea orbitarum, genarum, temporum et menti setae adsunt eaeque omnes albae. Labii superioris verae mystacis vibrissae maximam partem detritae sunt. Partium nonnullas mensuras quae et quales ex tali pelle redeunt supra addidi. Macularum dispositio et magnitudo ad priorem pellem proxime accedit.

Praeterea tertiam aliquam colore magis flavidam pellem in Habessinia accepimus verum hanc etiam colore suo a vulgari capensi fulvo aliquantum diversam, in reliquis notis cum prioribus maxime congruam.

Pelles denique, quas Beryti in Syria vidimus, montis Libani *Pardo* exutae et in varios usus adhibitae, ab iis quas modo descripsi, neque colore neque macularum forma et magnitudine differebant. Omnes albicantes erant, praeter unicam colore fulvo-aureo insigniorem. Plura de his non notavimus cum lectulorum ornamenta essent.

In sola Nubia vivum *Pardum* proximum nobis vidimus eumque ita propinquum, ut a primo Camelo vix centum passus distaret. Trans viam lento passu incedens e valle parva egressus intra colles oppositos mox se recepit. Vestigia ampla in arena optime expressa directionem eius indicabant. Amicus Hemprich bene armatus cum famulo unico, venatore, vestigia recentia

sequebatur, sed, in dumeto oblitterata, sole africano fatigati, postremo deseruerunt parumque abfuit, ut ipsis errantibus sitis mortem attulisset. In montibus sinaiticis Arabis Beduinis nonnullis, qui de *Pardo* in suis montibus habitante narrabant praemium pollicebar, si quis specimen occisum afferret. Unus eorum triumphans aliquando, se vulnerasse *el Nimr* praedicans, accedebat, aliosque socios sibi adiungebat, qui in quaerendo mortuo operam conferrent. CAPRAM *sinaiticam* dilaceraverat ille dum a venatore petebatur. Mortuum non invenerunt et invitus praemium retinui. In Arabia felici Syria et Habessinia pelles eas vidi, quas supra descripsi.

Corollaria.

Auctorum de antiquorum Pardo et Panthera nonnullas opiniones supra commemoravi. Apud Kircherum coptica nomina *Pi-panther, Pi-gikris* et *Pi-gegris* leguntur, quorum prius arabico *Schabal* شبل, secundum arabico *Nimr* نمر, tertium arabico *Fahad* فهد respondeant. Felis domestica Coptis *Pi-schae* appellatur, Arabis *Kot* قط. Vox Arabum *Schabal* et *Sabal* vero minime ad Pardum quadrat, sed Leonis catuli nomen est. Tertia etiam arabica vox *Fahad* *Pardi* synonymon non esse constat, sed FELIS *iubatae*. Attamen coptica illa tria nomina ad Pardum referenda esse nihilominus patet, cum primum graecum nomen ipsum cum articulo coptico sit, alterum vero *Pardi* verum copticum nomen esse videatur, a quo tertium levius differt. Praeterea non omittendum est, animal aliquod *Fahad* dictum in Aethiopia etiamnunc versari, nomen enim et relationes plures de eo illic audivimus, de quo infra dicam.

Nuper Hamilton Smith (Griffith *Animal Kingdom*) praeter *Pardum* Linnéi aliam speciem constituit, quam FELIS *Pardi* antiquorum nomine inscripsit et solo velleris fulvo colore a Linnéano distinguit, cui pallidum tribuit. FELIS *Pardus* antiquorum, teste Plinio, fulvo sane colore a *Panthera* distinguebatur, sed idem fulvus color Linnéano *Pardo* praescribitur et rarissimus in Orientis *Pardis* a nobis observatus est. Cum magna horum animalium copia Romae viva in conspectum venerit, falsa narrare Plinium, quem non semper defenderim, verisimile non est. Disertis vero verbis ille scripsit: Nunc varias et pardos qui mares sunt, appellant in eo omni genere, creberrimo in Africa Syriaque. *Pantheras* igitur tum *Pardorum* feminas Romani appellarunt. Addit Plinius: Quidam ab iis pantheras (non sexu sed) candore solo discernunt; nec adhuc aliam differentiam inveni. VIII. 23. Sic etiam intelligitur, cur *Pantherae* i. e. Orientis *Pardi* albicantes (FELIS *Nimr*) e Cilicia copiosius Romam allatae referuntur, quam fulvi *Pardi*. Alii scriptores miscuerunt alia.

Hinc equidem hanc proposuerim *Pardorum* veram historiam. Antiquis Graecis, Aristoteli, FELIS *Nimr* πάρδαλις appellabatur, sed aliud quoddam iis innotuit simile, fabulosum animal πάνθηρ, odore omnibus animalibus gratum et perniciosum, quod cum illo saepe miscuerunt, nec plane reiecerunt. Antiqui Romani Orientis i. e. Ciliciae, Syriae, Arabiae, Nubiaeque pallidam raroque fulvam FELEM *Nimr*, verso solum semitico nomine *Namer* in latinam linguam, *Variae* nomine habuerunt. Rariorem eius fulvam varietatem marem esse crediderunt et *Pardum* vocarunt, albicantem formam pro femina habuerunt et *Pantheram* appellarunt. Attamen Plinii tempore iam bene notum fuit, utrumque sexum utroque colore reperiri. Hinc secundum colorem solum nomina dabantur, *Pardi* fulvis, rarioribus, *Pantherae* albidis crebrioribus. Hinc etiam

Ciceronis *Pantherae,* Plutarcho Παρδάλεις vertuntur. Posteriores, Oppianus et Arabes scriptores in caudae longitudine aliam differentiam statuerunt, verum iisdem novum animal longiore cauda instructum ex Asia innotuisse sane potest, nam eam caudae differentiam, ni Plinius, Populi certo Romani unus et alter eques observasset et scriptoribus demonstrasset, si in romanis, antiquitus tanta copia visis, adfuisset. Has antiquorum fuisse censeo cognitiones; aliae vero zoologorum recentiorum sunt. Linnéo, Buffoni et gallicis, puto, omnibus viris doctis Orientis *Pardus* forsan non innotuit, sed africanum illud animal, quod *Pardi* nomine appellarunt, ex Africa australi allatum erat. Hinc omnes de solenni colore fulvo loquuntur, quem in nigrum interdum abire Cuvier censet. Cum *Pardi* antiquorum nomen et characteres pellibus, ex australi Africa potissimum delatis, a Zoologis datum esse verisimile sit, *Pantherae* etiam nomen sensim *Pardi* synonymon factum sit, Orientis animali, de quo nunc agitur, antiquissimum suum nomen *Nimr,* quod hodieque illic in ore vulgi est, tribuendum censui. Cavendum enim est, ne quis, e nimiarum antiquarum specierum Charybde emersus, in Scyllam incidat, qua recentiorum diversissima animalia cum priscis in unam farraginem miscentur. Qui sceleta et carnes in Africa australi et Syria habitantium animalium aliquando comparabunt his dubiis tandem medebuntur. Interea *Pardo* varietas *Nimr* adscribenda videtur.

De Africae orientalis et Asiae occidentalis Felibus in genere, appendix.

In Aegypto eiusque desertis nec *Leo* nec *Pardus* habitant. In Nubia superiore a media Dongala inde et in Aethiopia tres magnas, maculatas duas, Felium species invenimus. *Leonem barbarum* a Chandeck inde noctu saepe audivimus, Cahirae captivum vidimus, incolis *Sabbah* vocatur. *Pardum* illic semel in deserto propinquum vidimus eiusque nomen *Nimr* fuit. Praeterea pellem, Felis *iubatae* pelli similem, illic vidimus, cui animali nomen *Fachad* tribuerunt.

In Habessinia nos *Pardum* solum vidimus. Salt, praeter *Leonem,* tres *Pardi* formas, duas *Lynces,* quarum una zoologis Felis *caligata* vocatur, *Caracalem* et *Catum* ferum nominat. *Tigris* a Ludolfio et antiquis peregrinatoribus perperam Habessiniae adscripta est.

E minoribus Felibus nos in Aegypto tres formas observavimus 1) Felem *Chaum,* cuius varietatem Francofurtani pinxerunt, 2) Felem *Bubastis,* quae media inter *Chaum* et *Catum* est, rostro producto et cauda mediocri imprimis ab hac et sequente differt et Aegyptiis sacra erat 3) Felem, quam *maniculatam* Francofurtani vocarunt et cuius specimina nos Felis *dongalanae* nomine inscripta anno MDCCCXXII Berolinum misimus. Haec etiam sacra fuit et cum F. *Bubastis* domesticas Aegypti feles largita est. De F. *Bubastis* conferatur Hasselquist: *Reise nach Palaestina* p. 69. Icon capitis huius in *Descript. de l'Egypte Antiquités* II. pl. LI. fig. 3. exstare videtur. Specimina tria Berolinum misimus.

In Arabia de sola Fele *Pardo Nimr* relationes et pelles habuimus. — In Syria *Leones* et *Tigrides* nunc dari incolae negabant. *Pardi Nimr* pelles vidimus, praeterea *Catum Bissaine* vocabant et de alia parva Fele (?) nomine *Hasabber* narrabant. — Nubica Felis species, quae fulva et Leone maior sit et quam Fischer in Addendis ad Synopsin Mammalium pag. 566 suscepit nobis a nemine illic memorata est.

CAPRA *sinaitica* H. et E.

EX AEGYPTI SUPERIORIS MONTE GAREB ET E MONTIBUS SINAITICIS.

Arabis Aegypti *Bedden* بدن aut *Bedden el wahsch* بدن الوحش vocabatur. Beduinis sinaiticis *Bedden* aut *Sehd* صيد. Hi feminam *Anse sehd* انس صيد appellabant. In Syria nomen *Vahhl* وعل de simili animali, quod non vidimus, audivimus. An Cervus *Wala* ዋለ: Habessinorum Ludolfi idem animal est?

Synonyma sunt:

Iaalah יַעֲלָה, plures Ieelim יְעֵלִים Hebraeorum post Mosen;

Capra *Ibex syriaca* auctorum;

Capra *nubiana* Frid. Cuvier et Geoffroy!

Capra *Iaëla* et *Akko* Hamilton Smith?

De Hebraeorum animali *Iaal* seu *Iaalah* יַעֲלָה 1. Samuelis xxiv. 3. Psalm civ. 18. et Hiob xxxix. 3. docte Bochart egit. Cum eodem viro docto recentiores Burckhardt et Rosenmüller illud animal pro europaeo *Ibice* habuerunt. Burckhardts *Reisen in Syrien* II. pag. 681. Rosenmüller *Biblische Thiergeschichte: Iaël.*

Anno mdcccxxiii equidem cum Hemprichio Cahirae in Aegypto duas Capras montanas vivas accepi, quas pro Caprae *caucasicae* Güldenstädtii varietate habuimus et quas ex Aegypto superiore allatas dicebant. Propter itineris continuationem nostram, ne historiae naturali perirent, mactandae erant. Sic pellem et sceleton paravimus. Eodem anno iter in montem Sinai fecimus ibique in rupibus vagantes multas vidimus. Ipsi cum Arabum auxilio 10 omnis aetatis specimina illic venati sumus. Ex his anno mdcccxxiv Berolinum missis duo sceleta et 5 pelles nunc denuo comparare potui. Anatomen in loco natali fecimus.

Anno mdcccxxv Fridericus Cuvier et Geoffroy in egregio libro *Histoire nat. des Mammifères* Capram eandem descripserunt et pinxerunt, quod specimen vir Illustris Drovetti, Galliae Consul in Aegypto, Duci d'Angouleme vivum dono miserat. Ex aliquo errore Nubia patria indicata fuit, gravioremque errorem alterum animal contraxit, quod simul cum Capra venerat, *Cervus Dama.* Nunquam enim in Aegypto *Cervum Damam* habitasse extra dubitationem omnem est. Hinc utrumque animal e Syria allatum esse suspicor, ni forsan *Cervus Dama* (1) ex Barbaria (prope Tripolin) et Capra ex Aegypto superiore delatae sunt. Caprae *nubianae* nomen hinc illi montanae Caprae infelicius datum est, quam in Nubia hucusque nemo vidit.

---

(1) *Cervum Damam* in Barbaria s. Mauritania habitare icon illa optime testatur, quam *Pascho* in itineris sua relatione in Cyrenaicam facti dedit. Illic enim in Tab. cix. venationis in pariete aliquo pictae antiqua icon repetita est, in qua medius *Cervus Dama* maculatus, optime distinguitur.

Anno MDCCCXXVII Hamilton Smith in Griffith *Animal Kingdom* Vol. IV. et V. habes-sinicam Capram feram CAPRAE *Iaëlae* nomine constituit. Eodem illo anno equidem iconem delineari curavi et nomen CAPRAE *sinaïticae* inscribendum dedi, Griffithii vero liber longe serius hic innotuit, eumque Fischer anno MDCCCXXIX in Mammalium Synopsi allegare nondum potuit. Utrum *Iaëlae* nomen recte adhibitum sit, tam diu dubium erit, donec syriaca Capra montana *Vahhl* ab aliquo zoologo visa erit. Apud Mosen *Iaëlae* nomen non legitur, hunc vero nomine *Akko* illud animal indicasse, teste Bocharto, non ita facile probatur. In adhibendis igitur antiquis nominibus ut severiores zoologi sint, etiam atque etiam rogandi sunt, qui enim Antiloparum historiam comparabunt magno doctrinae inutilis apparatu propterea opus esse invenient, quoniam viri docti geographicos antiquorum animalium fines parvi habuerunt.

CAPRA *sinaitica.*

Character essentialis uberior.

C. statura *Ibicis,* Mare valido barbato, cornubus amplis, gracilioribus quam in *Ibice,* fere tripedalibus, lunatim in dorsum curvis, apice deorsum redeunte, basi in adultis quadrangula, mediis triangulis, apice ancipitibus, antice planis crasse tuberculato-serratis, postice obliquis; Colore flavofusco, pectore, linea dorsi elata et laterum fascia saturate fuscis, pedibus antice nigrofusco et albo variis, ad metacarpi articulum annulo nigrofusco insignibus, barba caudaque nigris, gula et abdomine albis;

Femina minore imberbi, cornubus compressis, vix semipedalibus, rugosis, levius reflexis, apice sursum redeunte; colore pallidiore, pectore et lateribus concoloribus, linea dorsi obsoleta, metacarpo postice bipunctato.

Dimensio partium ad sceleta et pelles cum cranio et pedum ossibus facta:

	Maris I. pellis farcta:			Maris II. pellis farcta:			Feminae I. pellis farcta:			Hinnuli fem. pellis rudis:			Sceleti Maris:			Sceleti Feminae:			
Longit. ab apice oris ad basin caudae ope fili	4′	4″	9‴	4′	3″	6‴	3′	6″	8‴	2′	7″	8‴	-′	-″	-‴	-′	-″	-‴	paris.
— —— — — finem pelvis	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	4	2	10	2	10	3	
capitis ab apice oris ad finem occipitis ope bacilli	-	10	3	-	9	2	-	7	10	-	6	3	-	-	-	-	-	-	
capitis ab apice ossis maxillaris . . .	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	9	3	-	5	11	
—— — —— oris ad bas. cornuum anteriorem	-	7	-	-	6	4	-	6	2	-	4	11	-	-	-	-	-	-	
capitis ab apice oris maxill. ad basin cornuum anteriorem	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	9	6	-	5	$3\frac{1}{2}$	
colli ab Atlantis margine superiore ad basin costae I.	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	9	9	-	6	9	
ad sternum	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	1	1	-	8	3	
caudae sine flocco	-	3	4	-	3	-	-	1	3	-	1	8	-	3	-	-	-	-	
flocci caudae	-	5	9	-	2	6	-	2	-	-	3	2	-	-	-	-	-	-	
auris a basi superiore	-	4	7	-	4	3	-	4	2	-	3	11	-	-	-	-	-	-	
fissurae auris	-	4	8	-	4	5	-	4	1	-	4	-	-	-	-	-	-	-	
oculi	-	1	-	-	1	1	-	-	$11\frac{3}{4}$	-	-	10	-	1	6	-	1	4	
cornuum recta a basi anteriore ad apicem	1	6	3	1	-	-	-	5	8	-	2	5	1	3	10	-	3	1	
cornuum curva a basi antcriore ad apicem	2	9	2	2	1	-	-	6	4	-	2	6	2	6	9	-	3	9	
processus frontalis cornuum	-	-	-	-	-	-	-	3	9	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
ungularum anteriorum	-	1	$11\frac{1}{2}$	2	1	-	-	1	8	-	1	4	-	-	-	-	1	8	

	Maris I. pellis farcta:			Maris II. pellis farcta:			Feminae I. pellis farcta:			Hinnuli fem. pellis rudis:			Sceleti Maris:			Sceleti Feminae:			
Longit. ungularum posteriorum	-′	1″	$8\frac{1}{2}$‴	-′	1″	$8\frac{1}{2}$‴	-′	1″	5‴	-′	1″	3‴	-′	-″	-‴	-′	1″	4‴	paris.
——— spuriarum anteriorum	-	-	8	-	-	7	-	-	7	-	-	9	-	-	-	-	-	-	
——— ——— posteriorum	-	-	8	-	-	6	-	-	8	-	-	7	-	-	-	-	-	-	
narium aperturae	-	-	8	-	-	9	-	-	$7\frac{1}{2}$	-	-	$5\frac{1}{2}$	-	-	-	-	-	-	
rictus oris	-	2	3	-	2	4	-	1	7	-	1	4	-	-	-	-	-	-	
pilorum cristae dorsualis obsoletae in medio dorso	-	2	8	-	2	4	-	1	-	-	1	6	-	-	-	-	-	-	
barbae menti	-	3	9	-	6	4	0	0	0	0	0	0	-	-	-	0	0	0	
brachii a cubito	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	7	6	-	4	8	
tarsi anterioris a solea ungulae usque ad medium callum a latere	-	7	2	-	6	6	-	6	4	-	5	6	-	7	9	-	6	1	
femoris ad genu	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	8	6	-	5	4	
tarsi posterior. a solea ungulae media	-	9	11	-	9	4	-	8	7	-	7	3	-	10	1	-	7	9	
metacarpi a medio articulo	-	2	10	-	2	9	-	2	5	-	2	4	-	2	7	-	2	9	
metatarsi a medio articulo	-	2	8	-	2	9	-	2	9	-	2	3	-	2	9	-	2	8	
Altit. ab interscapulio ad soleam	2	-	8	2	1	3	1	8	9	-	-	-	2	3	-	1	6	9	
a prymna ad soleam	2	1	8	2	2	3	1	9	3	-	-	-	-	-	-	1	6	10	
capitis	-	5	3	-	5	2	-	4	-	-	3	9	-	5	3	-	3	11	
ungulae anterioris	-	1	1	-	1	$2\frac{1}{2}$	-	-	9	-	-	$5\frac{3}{4}$	-	-	-	-	-	10	
Dist. aurium mutua	-	4	4	-	3	$6\frac{1}{2}$	-	1	11	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
aperturarum meatus auditorii	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	3	5	-	2	2	
oculorum antica mutua	-	3	9	-	3	11	-	2	10	-	2	$7\frac{1}{2}$	-	3	4	-	2	3	
——— postica mutua	-	4	9	-	4	9	-	3	10	-	3	$\frac{1}{2}$	-	4	4	-	3	2	
——— ab apice oris	-	5	6	-	5	1	-	4	6	-	3	8	-	-	-	-	-	-	
——— — ——— maxillae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	4	11	-	3	6	
baseos auris mediae ab apice oris	-	9	9	-	8	8	-	7	4	-	6	1	-	-	-	-	-	-	
aperturae meatus audit. ab apice maxillae	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	7	8	-	5	$2\frac{1}{2}$	
apicis cornuum ab apice rostri	-	11	9	-	4	7	-	11	9	-	7	6	-	9	-	-	8	10	
mutua cornuum apicis	-	9	11	-	9	-	-	4	$\frac{1}{2}$	-	1	$5\frac{1}{2}$	-	6	-	-	2	7	
——— ——— curva media	-	10	11	-	6	9	-	2	3	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
——— ——— margine superior	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	11	6	-	1	7	
——— ——— baseos	-	-	10	-	-	10	-	1	2	-	1	$1\frac{1}{2}$	-	-	11	-	1	1	
Latit. ungular. anter. binar. (vestigii) maxima	-	1	6	-	1	6	-	1	$\frac{1}{2}$	-	-	$11\frac{1}{2}$	-	-	-	-	1	-	
——— posteriorum	-	1	$3\frac{1}{2}$	-	1	$2\frac{1}{2}$	-	-	11	-	-	$9\frac{1}{2}$	-	-	-	-	-	11	
——— spuriarum anteriorum	-	-	8	-	-	7	-	-	7	-	-	7	-	-	-	-	-	-	
——— ——— posteriorum	-	-	9	-	-	9	-	-	7	-	-	7	-	-	-	-	-	-	
capitis maxima	-	4	9	-	4	9	-	3	8	-	2	3	-	4	$7\frac{1}{2}$	-	3	$2\frac{1}{2}$	
cornuum lateralis maxima	-	-	-	-	-	-	-	1	$\frac{1}{2}$	-	-	9	-	2	-	-	-	$9\frac{1}{2}$	
——— ——— in tubere	-	2	2	-	1	11	-	-	-	-	-	-	-	2	7	-	-	-	
——— anterior maxima	-	1	$3\frac{1}{4}$	-	1	$3\frac{1}{4}$	-	-	7	-	-	$5\frac{3}{4}$	-	1	3	-	-	$6\frac{1}{2}$	
oris extremi ad septum narium	-	1	$1\frac{1}{2}$	-	1	3	-	-	$8\frac{1}{2}$	-	-	9	-	-	-	-	-	-	
maxillae apicis	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	9	-	-	$5\frac{1}{2}$	
nasi ad apicis basin	-	-	10	-	1	2	-	-	9	-	-	7	-	-	-	-	-	-	
septi narium	-	-	$2\frac{1}{2}$	-	-	$2\frac{1}{2}$	-	-	2	-	-	2	-	-	-	-	-	-	
Ambit. capitis maximus (ad oculos)	1	5	1	1	4	-	1	1	10	-	11	4	1	4	3	-	11	4	
colli medii	1	4	6	1	2	4	-	9	4	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
pectoris pone pedes anteriores	2	10	10	2	8	8	2	1	3	-	-	-	2	4	3	1	5	7	
abdominis ante pedes posteriores	2	8	9	2	8	5	2	1	5	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
cornuum baseos	-	6	3	-	5	4	-	2	8	-	1	9	-	6	9	-	2	2	
——— medius (inter tubera, maris)	-	5	-	-	4	2	-	2	1	-	-	-	-	5	1	-	1	7	
in tubere proximo	-	5	9	-	5	3	-	-	-	-	-	-	-	6	3	-	-	-	
trium pollicum distantia ab apice	-	2	2	-	2	1	-	-	-	-	-	-	-	2	4	-	-	-	

Descriptio Maris adulti II.

vellere hiemali:

Statura *Ibici* aequalis. Caput quintam corporis partem longitudine non aequat, sextam superat. Caudae stirps tertiam capitis partem aequat (in femina brevior). Auris dimidio capite

paullo brevior (in femina paullo longior). Oculorum distantia ab apice oris maximam capitis latitudinem et mutuam canthorum posteriorum distantiam aliquot lineis superat. Plantae seu podaria capitis fere longitudine; palmae seu manicula spatium fere aequant quod inter cornua et apicem oris est. Cornua curva capitis duplicem cum dimidia longitudinem superant. Ungulae anteriores bipollicares, pollice parum altiores, posteriores breviores. Pilus: In medio dorso pilorum cristae species obsoleta pilos 2″ 4‴ longos offert, reliquum corpus paullo breviore pilo dense vestitum est; omnes pili barba sub mento promissiore superantur, quae semipedalem longitudinem habet. Colli pilus parum longior est quam reliqui corporis. Corporis pili basi lanugine circumdati sunt. Singulus medius latior et compressus est, basi vero longius et apice brevius attenuatur et teres evadit. Barbae pili basi cinerei, macula sub apice alba, apice nigri; reliqui basi cinerei, medii dilatati flavofusci, apice nigri, in partibus albis toti albi sunt. Lanugo dorsi cinerea. Setae rigidae, nigrae, 1″ 3‴ longae, sparsae, oculos cingunt. Palpebrarum cilia distincta, tenuia, nigra. Aurium pili intus 3 taenias formant. Color: Totius corporis color fuscus est. Linea dorsualis media a media cervice incipiens, in uropygio ante caudam finiens, fuscescente nigricat et pilo paullo longiore cristam obsoletam formam. Oris margo tenuis, apex et mandibulae maxima pars cum barba nigrofusco tinguntur, ante barbam fascia gulae flavicans, pone barbam gula alba. Macula obscurior obsoleta in genis ante oculos. Aures extus flavae intus albae, apicis summo tenuique margine nigricant. Colli posterior pars cum pectore saturatius fusca. A pectore fasciae duae obscurius fuscae curvae ad latera abdominis abeunt, cuius medii color albus est. Aliae duae fasciae a pectore oriundae ad brachia decurrunt, alis brachiorum dilutius fuscis. Pedes coloribus saturatioribus picti, anteriores quadricolores, fusco, fuscescente-nigro, atro et albo varii. Postica facie toti, a cubito inde usque ad metacarpum, albent. Supra metacarpi flexuram annulo nigrofusco cinguntur, qui antice apice subacuto finit. Antica pedum facies superne ad metacarpi flexuram usque nigro-fusca, macula media supra carpum candida, quae oblique in interiora pedum latera continuatur picta est. Carpi nivei, ungularum margine nigro piloso, pilorum fasciculo atro inter ungulas. Fuscus pedum color quo inferior, eo obscurior est. Abdominis color albus in pedum latera interiora abit. Pedes posteriores antica facie, continuato abdominis marginis colore, nigrofusco tinguntur. Metacarpi albi, annulo tenui nigro et macula atra ad ungulas. Externum femorum et mediae tibiae latus pallide fusca ad calcaneum usque corpori concoloria. Prope calcaneum intus linea nigrofusca et altera exterior illic dilatata parallelae adsunt. Tarsi maxima pars alba, intus candidior, antice linea nigrofusca longitudinali picta. Cauda basi et media fusca, margine et apice late nigra. Perinaeum album. Cornua flavo-cinerea. Ungulae nigricant.

Cornua ampla bipedalia curva longitudine dimidium corpus fere aequantia, in spiram dimidiam recurva, apice parum extrorsum vergente, curvatura grata. Anterior cornuum facies tuberculosa, serrata. Recurvus apex antrorsum spectat. Praeter tubercula antica laterum rugae leviores cernuntur, quae sexpollicari distantia a basi laevi incipunt. Basi cornua quadrangula, media triangula et apice compressa sunt, lateribus utrinque planis. Anterior et exterior facies oblique plana est, angulis oppositis similaribus. Interior superus et exterior inferus angulus acuti, reliqui obtusi sunt, hi versus apicem evanescunt. Tubercula antica non aequalia nec sibi opposita, in dextro 10, in sinistro 9 distincta. Secundo tuberi sinistro duo dextra opposita sunt, nec distantia reliquorum aequalis.

Maris adulti I.

vellere aestivo seu detrito:

Priore maior, flavicante fuscus, colorum omnibus notis, praeter maculam cineream dorsi dilutam ad basin cervicis et maculam fuscam, quae ad genua est paullo latiorem, in uropygium abeuntem, cum priore congruus. Dorsi pilus pollicem raro aequat, rarius superat totusque magis detritus quam in priore. Barba nigrior multum brevior, pilis fere omnibus apice albicantibus. Cornua multo longiora, dimidium corpus sex pollicibus superant, levius curvata, apice multo longius ab oris apice remoto. In dextro cornu tubera 14, in sinistro 16.

Feminae adultae I.

vellere hiberno seu *integro:*

Statura, habitus et cornua Caprae domesticae parvae, maribus modo descriptis longe ita inferior, ut hanc illius maris feminam esse primo intuitu facile neges. Greges multos vidimus, nunquam vero feminam maiorem. Speciminibus femineis 6 potiti sumus. Specimen de quo nunc agitur inter omnia maximum et maximo mare fere pedis longitudine i. e. quarta eius fere parte brevius fuit. Capitis et corporis ratio eadem apud marem et feminam, cauda paullo brevior. Aures capitis ratione longiores, dimidium caput enim superant. Pilus, sicut in maribus, raro pollicaris, longissimus bipollicaris in flocco caudae. Barba nulla. Setae circum oculos sparsae 9 ad 10 lineas longae, eisque similes in labio inferiore, ubi apud mares etiam nonnullae inveniuntur. Color pallidior quam in maribus flavicante-fuscus, linea dorsuali obscura obsoleta et vix turgida. Collum et latera abdominis dorso concoloria. Pectus sub collo albicante flavidum. Gula et abdomen alba. Pedes picti Maris pedibus similes, anteriores intus albicant extus flavi, macula nigrofusca antica supra articulum carpi, in ipso articulo macula alba; in medio carpo linea nigrofusca usque ad metacarpum decurrit. Metacarpi albi. Ungulae pilorum corona fusca marginatae, fasciculo atro intra binas. Notae utrinque nigrofuscae discretae ad ungulas spurias nec in annulum coalescentes. Pedes posteriores extus et antice flavi, supra intus albi, infra flavi; in carpo antica stria media nigrofusca longitudinalis, umbra fuscescens ad calcaneum; maculae duae nigrofuscae ad ungulas spurias. Aures extus flavae margine tenui fusco vix ullo, intus albae taeniis pilosis tribus. Cornua flavo-cinerea, ungulae nigricant. Cornua sexpollicaria compressa, maris cornibus quam maxime dissimilia, in Antiloparum morem annulis parum elatis lirata. Annuli 16 distincti, praeterea basis rimosa leviores 6 ad 7 annulos offert. Cornua simpliciter reflexa, apicibus aliquantum divergentia, apice levius surgente et sursum spectante.

Feminae adultae II.

vellere integro:

A priori colore non differt. Mensurarum differentias supra dedimus. Idem de tertia adulta paullo minore femina dicendum est, cuius mensuras dare non locus erat.

Hinnuli feminei

vellere integro:

(cornubus duos pollices parum superantibus.)

Corpus duos pedes et dimidium paucis lineis superat, ideoque dimidiam maris adulti fere magnitudinem habet. Color idem est ac in reliquis adultioribus feminis neque in pedibus magis dilutus est, quod accidere solet in iuvenilibus, sed nigrior. Quin maculae nigrofuscae ad ungulas spurias positae aliquantum cum fascia carpi antica confluunt. Mensurarum copiam supra dedimus. Praeterea id animadvertendum est, mandibulae dentes, qui in adultis interdum seni sunt, apud hinnulum et adolescentes semper octo esse. Deficiunt vero in adultis postremi incisivi, qui omnium tenuissimi sunt. Adultorum dentes multo latiores sunt. Canini nulli; Molares $\frac{5.\ 5.}{5.\ 5.}$.

Aegypti superioris animalis equidem tria specimina vidi et Berolinum attuli, montium sinaiticorum 10. Quo differant, etiamsi mare rubrum utrasque separet, maioris momenti aliquid non est. Idem vero et apud Plantas et Saxa illarum regionum locum habet, etiamsi longo terrarum desertorum tractu, in quo medium fere oppidum *Sues* situm est, distineantur.

Novembre mense feminam nullam gravidam occidimus, hinc verno tempore solum concipere videntur. Feminae duas mammas inguinales albo-pubescentes gerunt, nec pendulas vidimus.

In vallibus sinaiticis nobis iter facientibus quaternae, octonae et vicenae montanae Capra non raro obviam fiebant, uno eodemque die saepe iterata vice greges vidimus. Semper in summa praeruptaque rupe aut lente ingrediebantur, aut tranquilli ad nos in ima valle itinerantes despiciebant. In summo fastigio rupis semper Marem promoto et obliquo capite cornubus validis insignem vidimus. Arabes illic etiam narrabant, quod de *Ibice* in nostris alpibus perhibetur, cadentes ex alta rupe Mares cornubus ita defendi, ut lapsu raro morirentur, imo, si hosti effugere alio modo nequeant, se praecipites in profundum non raro consulto demitterent, nullo damno. Plurimas in rupibus sinaiticorum vallium Wadi Hebran et Wadi Esle vidimus, in aliis paucas. Non sine venatoris astutia occiduntur, quam acutissimam non raro illudunt. Saepe, sed non semper cum Arabis altas rupes, fervido sole, frustra conscendimus. In montibus proxime ad Cosseir et qui inter oppidum Cosseir et Nilum prope pagum Kineh sunt, montanas Capras habitare non audivimus nec vidimus. In montibus Toaerik etiam et Daraga, qui proxime ad Sues siti sunt, nulla vestigia nec in rupibus nec in ore Arabum invenimus. Duae illae, quas ex Aegypto superiore allatas Cahirae habuimus et tertia, quam vivam a praefecto Cosseirensi Turco dono acceperam, ex altissimo monte Gareb, qui ex adverso oppidi Siut, medius inter Cosseir et Sues in maris rubri littore est et altitudine summos montes sinaiticos aequare videtur, delatae fuerunt, illic enim Bedden vagari Beduini narrabant. In Nubia de his animalibus nusquam audivimus, sed illic *Tragelaphus* Capram montanam refert, cuius specimen Berolinum attulimus. In Arabia meridionali etiam prope Meccam et Gumfudam nunquam in montibus hanc Capram vidimus, nec illic ullibi de ea incolae narrarunt. Utrum Capra fera Habessinorum *Tragelaphus* sit, an Capra *sinaitica,* an tertia species, diiudicare nequeo, cum nos ipsum animal illic non viderimus.

In Mare adulto, cuius sceleton mensus sum, tubera 20 in utroque cornu numeravi. Praeterea de sceleto addiderim: Apud Marem et Feminam vertebras colli 7 numerari, trunci 19,

sacras 5, coccygis 5, caudae 6 = 42. Sterni partes osseas in utroque 7 et cartilaginem vidi; Costae utrinque 13 erant. De anatomicis nostris observationibus in montibus sinaiticis factis alibi disseram.

Epizoa tria observavimus *Ixodem, Hippoboscam* et *Oestrum*; Entozoon unicum, *Cysticercum* in mesenterio habitantem, de quibus alibi.

Corollaria.

De *syriaca* et *sinaitica* Capra montana uni, ut videtur, huic speciei ubique adscribenda Burckhardt conferendus est, qui perperam eas pro *Ibice* habuit. *Reisen in Syrien, Palaestina und der Gegend des Berges Sinai, übers. von* Gesenius II. pag. 681 et 915. Quae illic narrantur fide digna sunt. Maximam cornuum longitudinem $3\frac{1}{2}$ pedes aequare semel expertus est.

De voce *Orvia* seu *Alorvia*, اروية seu الاروية Bochart in capite, quod de voce *Iaalim* יעלים agit plura retulit, eamque ad *Ibicis* feminam allegavit. Nos in monte Libano vocem *Aeru* seu *Erru* pro *Cervi Damae* femina ex ore vulgi audivimus, nec hanc vocem ab illa diversam censuerim. Confer quae ad Antilopam *Leucorygem* in Corollariis folio *n* scripsimus. Iis vero qui de Cervis in Africa et Arabia habitantibus scribent cavendum est, ne Arabum relationes de animalibus cornubus serratis dentatisve insignibus omnes ad Cervorum genus referant. Nodosa Caprae *sinaiticae* cornua Arabes etiam *serrata* atque *dentata* vocant, neque est cur vituperentur. Similis causa Prosperum Alpinum in errorem duxisse videtur, qui Aegypto non deesse quoque cervorum complures narrat (pag. 232). In Aegypto enim nulla *Cervi* species habitat.

Quae Damir de *Orviae* et Oppianus de *Aegagri* spiraculis in cornibus sitis narrant fabulae sunt.

Nonnulla denique verba de differentiis facienda sunt, quae Capram *Ibicem, sibiricam* et *caucasicam* a *sinaitica* distinguunt. Multum et ingeniosum de Capra *Ibice europaea* et *sibirica* Pallasium fuisse bene notum est, sed eum in definienda sibirica forma minus felicem fuisse censeo. Equidem in Museo zoologico, quod Vir clariss. Gebler in urbe sibirica Barnaul proxime ad ipsos altaicos montes condidit, Capram altaicam montanam adultam vidi, eiusque specimen iuvenile nunc in Museo regio berolinensi ex eadem regione servatur. Ipsum *Ibicem* europaeum Berolini non servari valde doleo, nullibi enim pellem hucusque comparare potui; Cornua eius in Museo regio exstant. Utrumque a *sinaitica* Capra valde diversum esse, nec specie coniungi debere primo intuitu in aprico est. Verum ipsum etiam sibiricum *Ibicem* cum europaeo non bene consociatum esse, quod et alii censuerunt, mihi persuasi. Cornuum anguli apud has Capras cum aetate variabiles sunt, iuveniles Mares, cornubus compressis, Feminis similes sunt, adolescentes triquetra, adulti basi quadrangula cornua gerunt. Hos equidem characteres propino:

C. *Ibex:* europaea; cinerascens longius villosa, utroque sexu barbato, Maris adulti cornubus nigris crassitie basi excellentibus, a basi longius aperte quadrangulis, antice depressius nodosis, retrorsum et extrorsum arcuatis, oris margine et caudae basi subtus albis;

C. *sibirica*: asiatica; cinerascens longius villosa, utroque sexu barbato, Maris adulti cornubus cinereis basi crassis, maximam partem subtriquetris, antice convexius nodosis retrorsum et extrorsum arcuatis, oris margine concolore aut fuscescente;

C. *caucasica:* asiatica; fusca brevius pilosa, femina imberbi, Maris adulti cornubus crassis, levius et apice introrsum arcuatis, maximam partem triangulis, antice depressius nodosis, pectore pedibusque nigricantibus;

C. *sinaitica*: asiatico-africana; fusca et flavicante fusca, brevius pilosa, Femina imberbi, Maris adulti cornubus amplis gracilioribus, in spiram ultra semicirculum in eodem fere plano arcuatis, basi quadrangulis, mediis triquetris, apice ancipitibus, nodis convexioribus; pedibus nigrofusco et albo saturatius variegatis.

Utrum antiquorum Aegyptiorum *Mendes* domesticas solum Capras, an montanas etiam complexus sit, evincere nequivi. Caprae cultum in oppido Schmūm-an-Ermān, ex adverso montis Gareb ad Nilum sito, locum principalem habuisse non sine causa et in ferarum caprarum antiquam habitationem respectu fuisse posset. Champollion iunior *Mendis* nomen non aegyptiacum, sed graecum esse docet (*Egypte sous les Pharaons* T. II. pag. 114.); Tôchon d'Annecy contra cum aliis nomina *Mendes* et *Thmuis* homonyma et aegyptiaca esse docet, iis se associans qui Capram ita appellari censent. Idem varias Caprarum in nummis excusarum formas miratur (*Recherches sur les medailles des nomes* pag. 167.). Utrum Capra in nummo fig. 4. illic delineata huius montanae Caprae Marem, ea vero quae primo loco data est, Feminam referant, an ad domesticam Capram omnes spectent, non diiudicaverim. Apud Kircherum *Pi-mends* Capri nomen copticum, *Pi-sosoe* (*Sasa* Habess.) *Tragelaphi* est. Capra libyca Ionstoni fabulosum aut monstrosum animal est, quod mammas in pectore gerit. Αἰγὲς ἄγριοι ἐν Λιβύῃ Aeliani XIV. 16. ad *Tragelaphum* Nubiae spectare videntur. *Akko* Hebraeorum Rosenmüllero l. l. Antilopam *Lerwiam* esse non arridet.

Iconis explicatio.

Gregem in alta montium sinaiticorum rupe stantem in Tabula XVIII. ita pictum dedimus, sicut saepe in Wadi Hebran eos vidimus. Mas adultus femina adulta et hinnulus tabulam intuenti propius admota ad modulum sextae verae magnitudinis partis picta sunt. Herbae in ipsis illis rupibus utplurimum plane desunt eaeque rimas et valleculas solum parce vestiunt; arbores omnino desiderantur. *a.* Maris, *b.* Feminae infimam cornu basin diametro refert.

Berolini Novembre MDCCCXXXII.

PHACOCHOERUS *Haroia* H. et E.

EX HABESSINIAE LITTORE PROPE ARKIKO.

Habessinis vocari audivimus *Haroia* et *Mafles*. Vocem *Haroia* Ludolf ሐሮያ scripsit. Secundum Saltium *Arowjah akul* Tigrensibus, *Eryeah* Amharnis appellatur. Alii *Haruja* scripserunt. Arabes in Habessinia Apri nomen *Haluhf* حلوف adhibent.

Synonyma sunt:

Ὗς κέρατα ἔχουσα ἐν Αἰθιοπίᾳ Agatharchidis apud Aelianum!

Ὗς τετράκερως ἐν Αἰθιοπίᾳ Dinonis apud Aelianum?

Aper *Haroia Aethiopiae* Ludolf!

Sus (Aper) *aethiopicus* (*capensis*) totius Africae Pallas, Georgius Cuvier, ex parte;

Sus *africanus* — (*Cap verd*) Daubenton, Pennant. — Gmelin?

Phacochoerus *africanus* Frid. Cuvier *Mémoires du Mus.* VIII. ex parte;

Phascochaerus *africanus* (et *aethiopicus*) Desmarest *Mammalogie* ex parte;

Phascochaeres *barbatus* Museum francof. teste Temminck *Monogr. Tableau* pag. XXIX.

Phascochaeres *Aeliani* Museum francofurt. teste Cretzschmar, ex parte;

Phacochoerus *incisivus* Isid. Geoffroy *Dict. class.* ex parte;

Phacochoerus *africanus* et *aethiopicus*? Georg. Cuvier MDCCCXXIX ex parte;

Phacochoerus *africanus* nec *aethiopicus* Fischer Synopsis MDCCCXXX ex parte.

De aethiopico Apro sententiarum controversiam nondum quievisse, etiamsi variae descriptiones nuper additae sint, Georgii Cuvieri sententia testatur, quam in altera Regni animalis editione anno MDCCCXXIX exhibuit.

Lucem et difficultatem plurimam miro infortunio ingeniosus Pallas in africana animalia detulit. Buffoni repugnans qui magna cum eloquentia de ferorum animalium adulterina variatione et mutatione naturae parum convenientes sententias emiserat et generalioribus aliquibus naturae legibus, quas a se observatas probatasque censuit, indulgens, in errores graviusculos ipse cecidit. Quoquo enim illa res se habeat modo, secundum quam animalia e quibusdam centris oriunda, terrarum et geniturae variis conditionibus immutata sunt aut non sunt, id certum est, plurimas de hac re observationes summo labro tantum haustas esse et viribus virisque opus esse, qui ab Antistite Pallasio inchoatum, a Georgio Cuvier continuatum et excultum opus

---

(1) Cum anno MDCCCXXVIII hanc iconem in lapidem delineari curabam, francofurtana icon nondum prodierat, annus enim in fronte libri illius scriptus primo solum eius fasciculo convenit, ultimi longe serius prodierunt. Primam iconem paravimus, quae nunc secunda prodit et, in pilo eiusque vorticibus reddendis, elegante francofurtana praestantior est.

ulterius promoveant, ut post longos demum probosque labores conclusionibus praereptae illae naturales dictae leges, a vera natura lubentius agnoscantur. Multi quidem expediti scriptores et observatores de speciebus legibusque statutis et eruendis firmissimis loquuntur, de typis et radiatim aut annulatim exeuntibus varietatibus referunt et decem syllabulis constantem nitidulam diagnosin, hilari vultu, nec bene favente Prisciano, latinam exhibent et qui, ingeniosas licet, mancas tamen illorum iure illustrium virorum observationes solummodo habent, in quarum basi cum studiolo et male velati stant. His etsi Pallasii exemplum imprimis commendandum sit cavendum tamen est, ne illud eius exemplum imitentur, quo capensia animalia pleraque cum libycis et aethiopicis miscuit, in hac enim re ipse Pallas, ob nominum non imitandum abusum, excusari nequit.

Primus Pallas capensem Aprum, anno MDCCLXV primum in Belgiam delatum, bene descripsit eique aethiopici nomen ea de causa dedit, quoniam Aeliani aethiopicum quadricornem Aprum cum capensi specie convenire sibi finxit. Linné in appendice ad Systematis Naturae editionem XII. in Tomo tertio Pallasii novam Suis speciem MDCCLXVIII suscepit. Bene tum Pallas Africae mediae occidentalis aprum, cuius aliquas partes Daubenton eodem tempore descripserat, ab aethiopico diversum suspicabatur, eamque suspicionem recentiores observationes ita auxerunt, ut nonnulli zoologi proprio nomine illam formam appellandam censuerint. Maximum et felicissimum studium in hac re Fridericus Cuvier posuit, qui e craniorum utriusque formae diligente comparatione et genericos characteres eruit, qui Apros illos africanos a Suibus removent et speciales constituit, qui Africae occidentalis *Aprum aethiopicum* a capensi avellunt. Georgius Cuvier in fratris sententiam non omnis abiit. Generis proprii characteres quidem agnovit, sed capitis formam magis elongatam et dentium incisivorum praesentiam aut defectum pro aetatis patriaeque diversae formarum variatione habuit. In eandem sententiam Desmarest abiit, qui anno MDCCCXX egregium librum *Mammalogie* inscriptum edidit, in quo PHASCOCHAERI dicti generis unica species cognomine *africani* statuta est.

Ineunte anno MDCCCXXV cum Hemprichio in Habessinia simili animali venatione potitus sum, eiusque pellem et ossa postero anno Berolinum attuli. Iam Ludolfio Saltioque, qui de Habessinia scripserunt, Aper in illa terra habitans commemoratus est, quem incolae *Haroia* vocent, et primus omnium Agatharchides, qui librum de Mari rubro scripsit, antiquitus de Suibus quadricornibus Aethiopiae, Aeliano teste, ita locutus est, ut habessinicos illos Apros eum in mente habuisse controversia esse nequeat. Hinc illa etiam specimina, quae, Calpurnio indicante, Romano Populo viva olim in conspectum venerunt Maris rubri navigatione ex Habessinia delata fuisse verisimile est. Animal quo nos potiti sumus ab indigenis nomine *Haroia,* ab aliis vero *Mafles* appellabatur.

E Provincia Cordofan Nubiae et ex Habessiniae eadem regione, ubi nos duobus annis ante navem appulimus, Francofurtanum Museum pelles accepit, quas Celeberr. Temminck PHASCOCHAERIS *barbati* nomine indicavit et Celeberr. Cretzschmar serius PH. *Aeliani* nomine descripsit et pictas dedit. Quae descriptio cum in dentibus diligenter illustrandis aequali fere modo versata sit, ac Friderici Cuvieri dissertatio, reliquas vero partium rationes multo graviores obiter indicaverit, obscuritatem non magis diremit, quam Isidori Geoffroyi tractatus, anno MDCCCXXVIII in libro *Dictionnaire classique d'hist. nat.* sub voce *Phacochère* expressus.

In hoc tractatu eidem animali quartum nomen datum est; ne enim *africani* et *aethiopici* Phacochoeri infelicius data nomina in errorem trahant, e charactere dentium edentati et dentati nomina dari mavult. Georgius Cuvier his omnibus studiis diffisus est et in secunda Regni animalis editione, quae anno MDCCCXXIX edita est, dubitationem de duarum africanarum specierum differentia servavit.

Fischer in novissima Synopsi Mammalium anno MDCCCXXIX et XXX Fridericum Cuvier secutus est, Phacochoerum aethiopicum et africanum diversos suscepit et reliqua nomina suppressit.

Hic data descriptione, de speciebus in Corollariis plura dicam, sed formas africanas bene cognitas esse non credo. Cum inter tot nomina, ab auctoribus antiquis et recentioribus uni eidemque animali data, unum eligendum esset, cui nostras observationes annecterem, antiquissimum eligendum censui. Nisi de speciebus africanis aliqua dubitatio esset, Suis *tetracerotis* nomen Dinonis eligendum esset, sed non constat, utrum Dinonis Aper ex Africa orientali, an ex occidentali fuerit. Agatharchides qui Aethiopiam mari rubro contiguam descripsit Apro cornua gerenti, aperte habessinico, nomen appellativum non dedit. Hinc Ludolfii habessinicum nomen *Haroia* praeferendum esse duxi.

PHACOCHOERUS *Haroia*.

Character essentialis.

P. statura *Suis Scrofae,* adulto paullo minor, dentibus incisivis non deciduis, cranio angustato, elongato fronte depressa, oculis minutis superis approximatis, lobo zygomatico et maxillari parvis, corpore rostro caudaque subnudis, iuba promissiore, faciei vortice duplici.

Dimensio partium ad pellem cum ossibus et cranium exemtum facta:

	Pellis cum Cranio:			Cranii eiusdem exemti:			Pallasii mensura Apri aethiopici:			Apri aeth. alia a me facta:			
Longitudo totius ab apice rostri ad basin caudae ope fili a dorso	3′	11″	-‴	-′	-″	-‴	4′	9″	-‴	-′	-″	-‴	paris.
capitis ab apice rostri ad occiput ope bacilli	1	2	1	1	2	-	1	3	-	1′	2″	-‴	
mandibulae sine dentibus	-	-	-	-	9	10	-	-	-	-	-	-	
spatii inter dentes incisivos et molares superiores .	-	-	-	-	3	-	-	-	-	-	-	-	
—— —— —— ——— — ——— inferiores . .	-	-	-	-	2	5	-	-	-	-	-	-	
molaris postremi superioris	-	-	-	-	1	1	-	-	-	-	-	-	
——— ——— inferioris	-	-	-	-	1	-	-	-	-	-	-	-	
laniarii superioris recta a margine alveolari exteriore	-	-	-	-	1	10	-	-	-	-	-	-	
—— inferioris recta a margine alveolari exteriore	-	-	-	-	1	11	-	-	-	-	-	-	
stirpis caudae	1	-	-	-	-	-	?	10	6	-	-	-	
totius caudae	1	1	9	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
auris a basi superiore	-	4	-	-	-	-	-	3	3	-	3	5	
fissurae auris	-	4	6	-	-	-	-	-	-	-	3	5	
oculi	-	-	8	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
lobi (verrucae) zygomatici maioris	-	-	9	-	-	-	-	-	-	-	2	3	
rictus oris ab apice nasi	-	5	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
pedum anteriorum a cubito ad apicem ungularum .	1	2	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
palmae	-	9	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
metacarpi ad medium soleae latus usque . . : . . .	-	5	6	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
plantae	-	9	6	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
ungulae anterioris	-	1	6	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
—— posterioris	-	1	3	-	-	-	-	-	-	-	-	-	

	Pellis cum Cranio:			Cranii eiusdem exemti:			Pallasii mensura Apri aethiopici:			Apri aeth. alia a me facta:			
	-′	1″	-‴	-′	-″	-‴	-′	-″	-‴	-′	-″	-‴	paris.
Longitudo ungulae spuriae anterioris	-	1	-										
—— —— posterioris	-	-	9½	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
setae oculorum maximae	-	3	4	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
—— rostri maximae	-	1	5	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
Distantia mutua aurium basi supera	-	4	-	-	-	-	-	6	-	-	5	7	
—— aperturarum meatus auditorii	-	-	-	-	3	5	-	-	-	-	-	-	
—— oculorum antica	-	3	10	-	-	-	-	5	-	-	5	8	
—— —— postica	-	4	9	-	-	-	-	7	-	-	-	-	
—— —— minima	-	-	-	-	3	1	-	-	-	-	-	-	
oculorum ab apice rostri	-	9	7	-	10	4	1	-	-	-	11	4	
aurium baseos rostri	1	-	9	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
aperturae meatus auditorii ab apice rostri	-	-	-	1	-	4½	-	-	-	-	-	-	
verrucae magnae ab apice rostri	-	9	9	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
—— —— — oculo	-	1	8	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
verrucarum mutua basi inferiore	-	7	2½	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
apicis ungulae spuriae ab apice ungulae verae	-	2	9	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
Latitudo apicis nasi	-	2	9	-	-	-	-	-	-	-	3	11	
septi narium	-	1	4	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
narium aperturae	-	-	5	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
aurium baseos	-	-	11	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
—— maxima	-	3	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
caudae basalis	-	-	10	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
vestigii anterioris	-	1	5	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
—— posterioris	-	1	4	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
capitis maxima	-	7	4½	-	5	4	-	-	-	-	-	-	
maxillae superioris minima pone dentes laniarios	-	3	6	-	1	5	-	-	-	-	-	-	
—— —— ad dentium laniariorum alveolos	-	4	5	-	4	1	-	6	9	-	5	10	
verrucae maioris	-	1	1	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
Altitudo anterior in interscapulio	1	10	10	-	-	-	2	2	6	-	-	-	
posterior in prymna	1	11	9	-	-	-	1	11	-	-	-	-	
capitis maxima	-	7	-	-	6	2	-	-	-	-	-	-	
mandibulae (inferioris) minima inter dentes	-	-	-	-	1	1	-	-	-	-	-	-	
Ambitus capitis maximus ad oculos	2	2	-	-	-	-	-	-	-	-	-	-	
Nasus mandibulam (inferiorem) superat	-	1	11	-	-	-	-	-	-	-	-	-	

Descriptio Feminae adolescentis:

Statura PHACOCHOERUM *aethiopicum* pari aetate aequare videtur, eadem habituque cum *Scrofa* mediocri comparanda. Caput verrucarum paribus duobus insigne, quae quatuor cornua veteres dixerunt; tertia corporis parte paullo brevius, pollicem longius est quam cauda. Verrucae seu lobi capitis, duo longiores zygomatici sunt et utrinque sub oculo pendent, duo parvi pone dentes laniarios ad latera ossium nasi siti sunt. Verruca zygomatica pedum posteriorum ungula parum brevior est, maxillares in hoc specimine parum prominent, in aliis vero quae Cretzschmar descripsit longiores fuisse videntur. Aures elongatae. Singula auris tertiam capitis partem longitudine aequat, carpo anteriore dimidio brevior est et spatium aequat, quo ab altera aure detinetur. Pedes a cubito inde capite pollicem breviores sunt. Plantae longitudine oculorum distantiam ab apice rostri referunt. Oculorum distantia anterior rostri latitudinem minimam pone dentes laniarios quatuor lineis superat. Septum narium linea latius est, quam ungula posterioris pedis. Cauda versus apicem depressa atque plana est.

Pilus: Corpus parum pilosum vel nudiusculum, vertice vero, cervice et crista dorsuali longe pilosis. Corporis laterum, abdominis pedumque pili pollice uno raro longiores, cristae

pili 10 pollices longi. Caudae basalis et maxima pars pilis omnino caret, pollicum duorum et dimidii vero distantia ab apice inde cauda pilorum duplicem seriem lateralem offert. Corporis superioris pili retrorsum spectant, sicut in Scrofa, inferioris in collo, pectore et regione inguinali antrorsum vergunt. Rostri etiam anterioris pili adversi sunt. Praeterea capitis quatuor pilorum vortices memorabiles sunt, duo lineares ad genas barbam utrinque formant, tertius omnium longissimis pilis supra oculos in fronte est ab eoque crista dorsualis incipit, quartus denique ante oculos in media facie reperitur, a quo rostri adversa tenuis hirsuties incipit. In PHACOCHOERO *aethiopico* rostri hirsuties ab oculis ad nasum usque multo densior et longior est, in hoc vero specimine rostrum fere nudum dici potest. Aures ciliatae sunt. Setae longae rigidae sparsae prope oculos et oris apicem sitae sunt. Pili fere omnes fasciculati, bini, terni, saepius quini, interdum seni sunt.

Color. Cutis cinerea toti animali generalem colorem largitur. Rari laterum et abdominis pili albent, in crista dorsuali apice longius pallide flavicant, basi fuscescunt. Pedum pili a carpo inde nigricante fusci, nasi breves rufescunt, caudae apicales nigrofusci. Aures basi et intus albociliatae, apice nigro-ciliatae. Vibrissae rostri nigrofuscae, nonnullae flavidae. Oculorum setae et cilia nigra.

Mammae 6, 2 inguinales, 4 abdominales. Dentes $\frac{16.}{16.}$, incisivi $\frac{2}{6}$, laniarii $\frac{1.1.}{1.1.}$, molares $\frac{6.6.}{4.4.}$. Dentes incisivi connivent, sicut Leporum molares, laterales inferiores magis decumbunt, quam medii. Laniarii inferiores argute triquetri acutissimi, carinarum una antica, superiores obtusi, lateribus duobus rotundatis, sulco longitudinali notatis, tertio latere, antico, plano. Molares dentes compositi, valde singulares, generi characterem praebent et cum similibus a Friderico Cuvier et Cretzschmaro descriptis conveniunt. Areae molaris postremi $\frac{15.15.}{16.16.}$ cylindri lateris $\frac{5.-6.}{5.-6.}$.

Saevum animal prope Arkiko in Habessiniae littore in sylvis aliquoties vidimus, semel, nec sine periculo occidimus. Grunnitus Aprorum voci non dissimilis et natura ad Aprorum europaeorum naturam proxime accedit. Apud incolas equidem solummodo nomen *Haroia* audivi, Hemprich vero duo nomina *Haroia* et *Mafles* scripsit. Saltium Aprum Habessiniae ferum (*the wild boar*) Tigrensibus *Arowjah akul,* Amharnis vero *Eryeah* dici referre, scriptum est. Unus venatorum nostrorum, appropinquante tali animali, tam attonitus fuit, ut proximum licet, sclopeti ictu petere non conatus sit, sed reliquorum risum sustinere, quam tale vulnerandi nec interficiendi saevum animal periculum subire maluerit. Toto corpore trepidans se obscondit et faciei pallorem historiolae delatorem habuit. Eandem vero rem saepe cum apris et venatoribus in Europa esse credibile est.

Corollaria.

Cornutos veterum apros male nonnulli scriptores intellexerunt. Sic nuper etiam Celeberr. Cretzschmar a quatuor dentibus laniariis validioribus nomen datum esse statuit, *Atlas zu* Rüppells *Reise* pag. 67. Illi vero dentes iidem sunt in europaeo Apro, nec habent quo populorum antiquorum animum ita moverint, ut alio nomine eos vocarent et admirarentur. Antiqua

Flaccourti descriptio Apri madagascariensis, quae forsan ad *Suem larvatum* spectat, verrucas faciales cornuum nomine appellat, eaque ad explicandam veterum sententiam bene adhiberi videtur. His vero ille verbis usus est: *les sangliers, principalement les masles, ont deux cornes à costez de nez, qui sont comme deux callositéz, Hist. Madagasc.* 1661 pag. 152. Praeterea veteres etiam de Serpentum cornibus locuti sunt similesque molles verrucas in *Cerastis* capite cornua appellarunt. Hinc τετράκερως veterum Sues quatuor capitis verrucis insignes fuisse probabile est.

PHACOCHOERI nomen infeliciter fabricatum est, PHASCOCHAERIS vero infelicius. Φακὸς seu φακὴ Graecis verruca non est, etsi Gallis forsan vox *lentille* in eum sensum abeat. Desmarest, qui illius nominis loco PHASCOCHAERUS scripsit, non *Suem verrucosum,* sed animal dentium fasciculis gaudens φασκοῖς χαίρων in mente habuisse posset, nec male. Sed utrum graecum σφακὸς et φακὸς latini Fascis radix sit, sub iudice esse videtur, neque vocem φασκὸς usitatam invenimus. PHACELLOCHOERUS, PHACELLOCHAERUS aut BUNOCHOERUS illum sensum rectius dedissent. Sed cum graeca vox φακὸς etiam apud veteres naevum indicaverit, non necessario eam reiiciendam esse censui, etiamsi idem verrucarum character alii africano animali e vero Suis genere, *Sui larvato,* insit.

De specialibus PHACOCHOERORUM differentiis denique pauca verba addenda sunt. PHACOCHOERUM Promontorii viridis seu senegalensem ab eo specie differre, qui in Capite bonae spei reperitur, e Daubentonii (Buffon XIV. pag. 409) descriptione et e Friderici Cuvieri eiusdem Cranii novo examine et icone *Mémoires du Museum* Vol. VIII. ita redit, ut ipse Georgius Cuvier in novissima Regni animalis editione, repugnans licet, in eam sententiam abiturus videatur, ego vero ad eandem quam maxime propensus sim. Etiamsi enim in dentium incisivorum praesentia aut defectu et in maxillae apud edentatum animal ossium gracilitate, a Friderico Cuvier praedicatis, parum ponderis est, si de differentia speciali quaerimus, in eo tamen magni ponderis differentiam invenio, quod illa dentium praesentia cum forma capitis elongata et defectus dentium cum capitis contracta forma coniuncta sunt. Omnia enim animalia iuvenilia ab adultis rostro breviore differunt et dentium praesentia et perfectior numerus iuvenilem aetatem arguunt. Iam productius rostrum et dentium vigor et abundantia in uno capite constanter coniuncta, secundum craniologiae regulas specialem differentiam comprobant. Neque vero in ea sola re subsistendum esse videtur. Vir doctus Cretzschmar, qui a Rüppellio collecta Mammalia descripsit, Friderici Cuvieri iconem PHACOCHOERI *africani* statim pro eadem specie agnovit, quam ex Habessinia allatam ipse coram habuit. Vereor ut nimis festinanter eam ediderit sententiam. Equidem cranium PHACOCHOERI a nobis allati paullo gravius diversum a Cuvieriano senegalensi habeo, nec aequalitatem speciei tam certam statuerem. Facile etiam omnis, qui Cretzschmarianam iconem cum Cuvieriana comparabit, graves mensurae differentias sibi informabit. Valde dolendum est, viros doctos illos in mensuris comparandis adeo parum curiosos fuisse, ut apud Cretzschmarum ne additum quidem sit, ad quemnam modulum tota icon delineata sit. Verum id etiam dolendum est, quod cum verisimiliter ad unum eundemque modulum Cretzschmarianae eiusdem tabulae icones omnes pictae sint, mandibula *d* duabus

lineis longior sit, quam eadem mandibula in fig. *a*. Sic etiam alveolorum laniariorum latitudo negligentius picta est. Idem monendum est de PHACOCHOERI *africani* dentibus molaribus naturalibus et diminutis in icone Cuvieriana. Ut ad novum huius rei studium excitem iconum Craniorum a me factam offero comparationem. Cuvierianae icones ad quartam verae magnitudinis partem delineatae sunt, hinc mensuras ter auxi; francofurtanas vero, cum paullo maiores pictae sint, ad tertiam verae magnitudinis partem delineatas suspicatus sum, hinc mensuram bis auxi. Sic, repetita nostri speciminis mensura, hanc obtinui tabulam comparativam:

PHACOCHOERUS

	capensis aethiopicus			*senegalensis africanus*		*habessinicus*	
	Friderici Cuvieri.	Berolinensis.	Fr. Cuvieri.	Cretzschmari.	noster.	
Longitudo Cranii totius	1′ 2″ 4‴	1′ 3″ 3‴	1′ 4″ 6‴	1′ 2″ -‴	1′ 2″ -‴	paris.
mandibulae, exclusis dentibus	- 11 -	- 10 9	1 - 2	$\left\{\begin{matrix}1 & - & \frac{3}{4}\\ 1 & - & 6\frac{3}{4}\end{matrix}\right\}$?	- 9 10	
dentis molaris superioris postremi	$\left\{\begin{matrix}- & 2 & -\\ - & 1 & 9\end{matrix}\right\}$?	- 2 -	- 1 11	- 2 $4\frac{1}{2}$	- 1 1	
—— —— inferioris postremi	$\left\{\begin{matrix}- & 1 & 11\\ - & 2 & -\end{matrix}\right\}$?	- 2 2	- 1 9	- 2 6	- 1 -	
orbitae	- - -	- 1 $5\frac{1}{2}$	- - -	- - -	- 1 $3\frac{1}{2}$	
Distantia oculorum mutua	- 4 6	- 5 6	- 5 -	- 3 $7\frac{1}{2}$	- 3 1	
—— ab apice rostri	- 10 2	- 11 10	1 - 6	- 10 3	- 10 4	
aperturarum meatus auditorii mutua	- - -	- 4 9	- - -	- 3 7	- 3 5	
—— —— —— ab apice rostri	- 11 10	1 1 5	1 1 8	1 - $1\frac{1}{2}$	1 - $4\frac{1}{2}$	
Altitudo cranii maxima	- 7 8	- 8 $2\frac{1}{2}$	- 9 2	- 10 $10\frac{1}{2}$?	- 6 2	
mandibulae inferioris minima	- 1 -	- 1 $1\frac{1}{2}$	- 1 2	- 1 $\frac{3}{4}$	- 1 1	
Latitudo cranii maxima	- 7 6	- 7 8	- 9 4	- 6 $5\frac{1}{4}$	- 5 4	
maxillae (superioris) minima pone dentes laniarios	- 2 1	- 1 10	- 2 6	- 1 $6\frac{3}{4}$	- 1 5	
alveolorum laniariorum superiorum amborum	- 5 6	- 5 9	- 5 8	$\left\{\begin{matrix}- & 4 & 1\frac{1}{4}\\ - & 4 & 9\end{matrix}\right\}$?	- 4 1	
—— —— inferiorum	- - -	- 3 10	- - -	- - -	- - -	

Comparatis his numeris magna *senegalensis* PHACOCHOERI cranii latitudo et distantia oculorum mutua et ab apice rostri praecipue in oculos cadunt. Si qua cum his aliisque gravibus differentiis, nisi auctorum parvae curae tribuendae sunt, F. Cuvieri et Isidori Geoffroyi descriptionem PH. (*senegalensis*) *edentati* comparaveris, qui verrucis eum carere tradunt et si Daubentonii caudae descriptionem l. l. pag. 410 perpenderis, quae nigros pilos, nec in media cauda deficientes effert, habebis ex quo mecum iure suspiceris, senegalensem PHACOCHOERUM *africanum* ab habessinico *Haroia* specie diversum et hucusque imperfectius descriptum esse.

De animalibus Suis forma in Africa libyca, Syria, Arabia et Habessinia obviis, in genere.

Suum formae antiquo tempore apud orientis populos impuritatis celebritatem contraxerunt et ab hominum mores puriores affectantium mensis arcebantur. Apud Hebraeos et Muhamedi sectatores idem hodieque locum habet. Cur apud Hebraeos Sues impuri fuerint apud Bochartum legas pag. 700. Mysticam ille causam subesse cum Augustino censet. Apud Muhamedanos hodieque eam causam non esse saepe ex ore hominum audivi, iique omnes Sues propterea abhorrent, quoniam rebus impuris, excrementis vescuntur. Animal illud de quo cibus a Mose prohibebatur hebraice *Chasir* חֲזִיר vocatur et simile nomen *Chansir* خنزير hodieque in ore vulgi apud Arabes Aegypti, Syriae et Arabiae est, quo *Suem Scrofam* designant. Philologi docti ipsique Arabes

utramque vocem a radice semitica *Chasr* derivant, quae myopem esse indicat et crebrae similes arabum voces, quae litteram *n* includunt et foetorem aut impuritatem indicant, tunc non radicem Suis vocabulo darent, sed una cum eo ab illa simpliciore radice penderent. Etymologia sub iudice est. Animal *Chansir* in Aegypto saepe vidimus idemque a *Sue scrofa domestico* nulla nota differre videbatur. Ipsi tamen Turci Sues in equorum stabulis nutriunt eisque, quod meis auribus audivi, persuasum est, diabolum omnem, qui stabula intret, lubentius in Suem, quam in equum invadere, quoniam plus affinitatis cum illo habeat. Nimium prole auctos Sues Turci non sine amara iocositate saepe Christianis et Europaeis nonnullos offerunt, quos hi astuta pari iocositate grato animo accipiunt et comedunt.

Praeter *domesticum Suem* in Aegypto ferus etiam reperitur. In palustribus prope Rosettam et Damiattam non rarus dicebatur. Aprum nomine *Haluhf* حلوف vocant et suculas maculatas dicebant. Pedes adulti recens occisi abscissos Alexandriae vidimus, quos ab europaeis non diversos censuimus.

In Syria etiam ferus Aper cum Sue domestico exstat. Illius caput rasum habuimus in pago montis Libani Bischerre. Europaei Apri capite solummodo paullo longius, reliqua simillimum videbatur; Maronitae illic nobiscum carnem eius edebant. Nomine *Chansir* utebantur. Prope Tafyle Burckhardt (*Reisen* pag. 681) frequentes Apros expertus est. In Iudaea Apros olim defuisse (contra Bochartum) probabile non est, greges cicures et subulcos defuisse, credibile est.

In Arabia nomen Apri non audivimus, in Habessinia praeter PHACOCHOERUM nullos vidimus, sed Ludolf porco illic nomen *Hasama* ሐሣማ: dari refert.

Berolini Novembre MDCCCXXXII.

In folio *z, b,* linea 35 lege aliquot pro aliquod; in folio *aa, a,* linea 12 lege hac pro haec; in folio *gg, a,* linea 3 lege observata pro observatus; in nota folii *kk, a,* lege Pacho (Pascho) pro Pascho; ibidem lege Tabula LII pro Tabula CIX; in folio *ll, b,* linea 15 lege format pro formam.

1. 1/3 2. 3.

CYNOCEPHALUS *Hamadryas.*

1. Mas adultus. 2. Juvenis. 3. Femina adolescens.

F. Hirsch fecit.

ISD

1/2

HERPESTES leucurus.

Dongala

a. adultus. b. juvenis.

E. Bürde junxit et in lap. del.

SQ

1/2

LEPUS * *aethiopicus.*

Dongala.

F. Bürde pinxit et in lap. del.

DSI

I.



1/2.

II.

1/2.

I. LEPUS *sinaiticus.* II. LEPUS *syriacus.*

F. Bürde pinxit et in' lap. del:

DSI

I.

II.

I. LEPUS aegyptiacus. II. LEPUS *habessinicus.

F. Bürde pinxit et in lapid. del.

DSI



½

CANIS * *syriacus.*
e monte Libano.

F. Bürde fecit.

ISO

13.

FELIS * *Nimr.*

ex Arabia felici.

Bürde fecit.

DSI

CAPRA * sinaitica.

Capra nubica F. Cuvier.

in Nubia nunquam visa

ex Aegypto superiore et e montibus sinaiticis.

Mas adultus, femina adulta et femina juvenis.

F. Bürde fec.

CANIS niloticus

ex Aegypto et Nubia

1. Femina 2. Mas 3 Mas juvenis.

Bürde fec.

ISO

¼

PHACOCHOERUS * Harrois

Femina
ex Habessinia.

Bürde fec.

ISD

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES
3 9088 01647 6475

INDEX DE[illegible]DIS SECUNDAE.

XI. CYNOCEPHALUS *Hamadryas,* Mas, Femina, Juvenis.

XII. HERPESTES *leucurus,* Adultus, Juvenis.

XIII. LEPUS *aethiopicus.*

XIV. LEPUS *sinaiticus.*

LEPUS *syriacus.*

XV. LEPUS *aegyptiacus.*

LEPUS *habessinicus.*

XVI. CANIS *syriacus.*

XVII. FELIS *Nimr.*

XVIII. CAPRA *sinaitica,* Mas, Femina, Juvenis.

XIX. CANIS *niloticus,* Mas, Femina, Juvenis.

XX. PHACOCHOERUS *Harroia.*